8
4 I
7

A I b 90. f 2

Google

DVBIA MILITARIA

Digitized by Google

DVBIA MILITARIA.

Digitized by Google

S. Andrea della Valle.

Digitized by Google



DVBIA CONSCIENTIÆ MILITARIA

à diuerſis propoſita, & reſoluta

A P. D. FRANCISCO CESPEDES CLERICO REGVLARI THEATINO S.T.P.

Opus Confeſsoribus Militum neceſsarium OMNIBVSQ. THEOLOGIÆ MORALIS STVDIOSIS PERVTILE,

CVM PRIVILEGIO

Blanchus F.

Mediolani ex Typographia Georgij Rollæ. MDCXXXXIII.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

NOBILISSIMO VIRO
D. GREGORIO BRITTO
EQVITI SANCTI IACOBI
PRO
CATHOLICO REGE
INVICTO MILITVM
TRIBVNO.

D. Franciſcus Ceſpedes S. D.

DVBIA Conſcientiæ Militaria, ſub Duce vexillo conſcientię militante, exeunt militatura; quam poſſint ſubire Fortunam, quos canere triumphos, quas cumulare victorias à virtute Ducis cui sũt dicata, licet explorare; Ducem enim ſequuntur prodigæ naturæ donis adeò coronatum; Equitem comitantur virtutum fulgoribus adeò radiantem, vt meritò infeſtantes obliuionis caligines ſperent effugere, atq; hoſti-

les

Digitized by Google

les ſæuientis inuidiæ tenebras non vereãtur fugare. E Cœlo ſiquidem tantæ gloriæ, ex incendijs tanti pectoris ipſo Marte feruentioris licet furari lumina, flammas rapere, quibus illuſtrentur, animentur, & ſemper viuant tãquam milites hęc Militaria dubia. Semper abſq; dubio hæc viuent, dum te Militem ſtrenuiſſimum, Ducem inuictiſſimum; Equitem præclariſſimum; agnoſcant Patronum ſemper viuent, dum te inter bella ſequentur Achillem, inter Regales conſeſſus proloquentem ſequentur Neſtorem, inter ſingularia fidelitatis ſpecimina ſequẽtur Achatem, & demũ inter antiquas nobiliorum ſeries Nobiliſſimæ Brittorum Domus ſequentur Heroem, immò decus Heroum. Accipe ergò Miles inuictiſſimè ob illuſtria, quæ me ſollicitant tua decantata merita hoc leue munuſculum, & quod tibi debetur omnimodè; ſereno vultu complectere, tuæq; gloriæ æternitatis viuentis clypeo pro æternitate tuere. Hoc ſi ſub tua luce degat, ſi à tua claritate claritatem

acci-

accipiat, ne dum omnes contrarias nebulas diſſipaturum confido. Sed etiam Ariſtophanis linguas; Ariſtarchi cenſuras contempturum non dubito. Vale.

Ad Lectorem.

Habes hic in vnum collecta, & reſoluta varia Dubia Conſcientiæ Militaria. Quiſquis es, ea libenter perlege; nec te terreat Martiale nomen, his etenim Martis licentia frangitur non effertur. Numero Centuriam efformant, quæ te Patrono, te Duce non timet, quæcumq; ſint hoſtilia linguarum iacula. Hæc ſi te benignè excipientem viderit, qui ea adunauit alia congerere, Typiſq; dare promittit, quæ fortè benignius ſit excepturus.

Digitized by Google

LIBRVM cui Titulus eſt *Dubia Conſcientia Militaria à diuerſis propoſita, & reſoluta à P. D. Franciſco Ceſpedes Clerico Regulari*, poteſtate ad id nobis ſpecialiter facta à Reuerendiſs. Patre noſtro D. Stephano Medices eorumdem Clericorum Regularium Præpoſito Generali, vidimus; nihilq; in eo contra fidem, & bonos mores contineri affirmamus. Vnde dignum eum cenſemus, quòd Typis detur. Mediolani die v. Nouembris. M DC XLII.

D. Alexander Porrus Clericus Reg. S.T. Profeſſor.
D. Paulus Maria Coquius Cler. Reg. S.T. Profeſſor.

D. Stephanus Medices Præpoſitus Generalis Congreg.nis Clericorum Regularium.

HOC Opus inſcriptum, *Dubia Conſcientiæ Militaria* à R. P. D. Franciſco Ceſpedes Sac. Theol. Profeſs. compoſitum, & iuxta præfixam aſſertionem PP. quibus id commiſimus approbatum, vt Typis mandetur quoad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmauimus. Mediolani die vI. Nouembris. M DC XLII.

D. Stephanus Medices Prep. Gen. Congr. Cler. Reg.

Locus O ſigilli.

D. Io. Baptiſta Lanfranchi. Secretarius.

L*IBRVM, cui Titulus* Dubia Conſcientiæ Militaria à diuerſis propoſita, & reſoluta à P. D. Franciſco Ceſpedes Theatino S. T. P. *vnàcum Epiſtola nuncupatoria, & ad Lectorem hic ſupraſcripta accuratè perlegi ego. D. Iacobus Antonius Pirouanus Congregationis Somaſchæ S. Theol. Lector, de mandato Adm. Reu. Patris Commiſſarij Sancti Officij Mediolani, in ijſque nihil reperi, quod Orthodoxæ Fidei, boniſque moribus aduerſetur, imò difficultates omnes ſumma cum breuitate, tum ſubtilitate reſolutas deprehendi, ideo luce digniſſimū opus iudico. Die* xxI. *Septembris M DC LII.*

Idem D. Iacobus Antonius Pirouanus qui ſupra &c.

Attenta ſupraſcripta relatione IMPRIMATVR

Fr. Baſilius Commiſſarius Sancti Officij Mediolani.
Io. Paulus Mazuchellus pro Eminentiſs. D. Cardinali Archiepiſcopo.
Vidit D. Io. Arias Maldonado Reg. Duc. Senator.
Comes Maioragius pro Excellentiſs. Senatu.

DVBIA CONSCIENTIÆ MILITARIA

A DIVERSIS PROPOSITA, ET RESOLVTA

A P. D. FRANCISCO CESPEDES
CLERICO REGVLARI TEATINO.
S. T. P.

Vnde hoc nomen militis, & de multis militum priuilegijs.

DVBIVM PRIMVM.

EX eo dicitur quis miles; vel ob militiam, quam exercet, vel quia ex mille hominibus vnus eligebatur ſtrenuus, & fortis aptus quam maximè ad militaria exercitia ſubeunda. Vel etiam dicitur miles, a malo, quod euitare non debet, ob ſalutem ſui Principis, & Reipublicæ. Vel dicitur miles, per ironiam ſcilicet, quia mollis eſſe

Digitized by Google

non debet. Hiſpano, & ferè etiam ſimiliter Italico Idiomate miles *Soldado* nuncupatur; à ſtipendio, quod ei à Principe ſoluitur quod *ſueldo* dicitur, ſed iam nunc deſinat miles ſic vocari; nam infœlices milites rarò hiſce temporibus ſtipendium vident. Innumeræ ſunt ethimologiæ huius nominis, quas omnes Grammaticis conſiderandas remittimus.

Multà antiquitus in creandis militibus fieri ſolebant variæ cærimoniæ obſeruabantur. In primis; offerebant ſe illis, qui diligendi ius habebant; aſſumebantur deindè in Tyrocinium, poſtquam autem erant ad Tyrocinium aſſumpti, exercebantur in Scholis; quæ plures erant. Exacto Tirocinij tempore militiæ, idonei inuenti adſcribebantur; & ad cingulum militare admittebantur; quod cingulum aut erant ſtygmata, *vt vult Vegetius lib. 2. de re militari cap. 5.* cuti militis inuſta, & picta, aut aliquod aliud ſignum arbitrali forma explicitum in indicium dignitatis acceptæ.

Plurima ſunt priuilegia, quibus gaudent milites, quæ ferè omnia videre potes apud *Criſpoltum in caſibus militaribus* in fine per modum Alphabeti diſpoſita, & præcipuè tam nobilia ea ſunt, quibus in teſtamentis condendis fruuntur; vt Cardinales ipſi glorientur, eorum eſſe participes. Nam Cardinales habent priuilegium teſtandi more militari. Ita *Albanus de Cardinalibus quaeſt. 42. Manfredus de Cardin. deciſ.* 221. *Zecbius de Reipubl. Chriſtia. tit. 3. de Cardi. num. 9. priuileg.* 11. *Gremouius; Bagnus, & alij quos docuerit Diana tract. 2. de poteſt. & priuileg. S. R. E. Cardin.* quidquid in oppoſitum ſentiat Iaſon.

Pri-

Priuilegia autem iſta, quibus gaudent milites in condendis teſtamentis, ſunt tùm circa formam, & ſolemnitatem teſtamenti, vt non ſeptem teſtes requirantur, ſed duo ſufficiant; tùm circa ſubſtantiam, & efficaciam diſpoſitionis, quia miles poteſt in parte decedere teſtatus, & in parte inteſtatus; Tùm etiam circa perſonam hæredis inſtituti, quia poteſt inſtituere etiam hæredem incapacem, vt volunt iuris perit. *ff. de militari teſtamento*. Multa etiam per iura canonica militibus conceduntur, & tanti militiæ ſtatus ſit: vt milites, & Eccleſia in multis coæquentur, vt aduertit *Valdus in Summ. Verb. Miles*. Vnde valet argumentari à militia ad Eccleſiam, vel piam cauſam, quando eadem ratio militat in vtroque.

Hinc ſicut fauore militis emptum ex pecunia militis efficitur ipſius ex leg. *Si vt proponis* C. de rei Vendica. Ità emptum ex pecunia Eccleſiæ efficitur ob eamdem rationem Eccleſiæ, & ſic de multis alijs caſibus dicendum eſt.

In quo nam ſtatu, quo ad ſalutem ſint milites.

DVBIVM SECVNDVM.

QVOD bellum, ſit licitum ex ſe, eſt de fide, contra Manichæos, qui Moyſen reprehendunt, eo quod bella geſſerit; ſic etiam *Valdenſis de Sacramentalibus* bella, vſumq; armorum damnare videtur, & Lutherus, vt refert Roffenſis damnauit prælia Chriſtianorum aduerſus Turcas; dicens eſſe repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos; quem tamen errorem, licet alios innumeros nunquam Germanos potuit perſuadere. Probatur, quod ſit de fide; quia in lege ſcripta licita fuerunt plurima bella; ad quæ etiam Deus adiuuabat, quæ ipſe Dominus præcipiebat, vt patet ex Moyſe, Ioſue, Sampſone, Gedeone, Dauide, & Machabæis, ex illo Ioannis Baptiſtæ Lucæ 3. *Interrogantibus enim militibus; Quid faciemus, & nos. Reſpondit* Ioannes; *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; contenti eſtote ſtipendijs veſtris;* in quæ verba ſic habet Auguſtinus ad Marcellinum. *Si Chriſtiana diſciplina bella culparet hoc potius militibus diceretur, vt abijcerent arma, ſeque militiæ omninò ſubtraherent,* ex quo patet bellum eſſe licitum, & conſequenter etiam milites licitè, & ſine peccato pugnare poſſe.

Attamen militum ſtatum periculoſum nimis, quo ad animæ ſalutem dicit, & iudicat *Abulenſis in* 1. *Paralipomenon cap.* 19. & probat varijs rationibus. Primò, quia milites pro ſtipendijs militant, & ſi aliquando adiuuant

in bello iniuſto, qui enim ſolum vellent adiuuare, & patrocinari in bellis iuſtis vix haberent ſufficientem victum; Sic ſæpè videmus aduocatos pauperes, qui in ſolis cauſis iuſtis patrocinantur. Secundò, quia milites interdum putant ſe adiuuare in bello iuſto; & faciunt hoc in iniuſto; Tertiò, quia quando milites peccant grauiùs peccant; quam alij homines, eo quod inferant vulnera, mortes, & prędas magnas agant depopulentur loca, & reddant terram habitatam in ſolitudinem; in alijs autem officijs, quamuis quis peccet, tamen non peccat tam grauiter. Quartò, quia ſæpè ex peccatis militum oritur obligatio reſtitutionis, & tamen difficillimè milites reſtitutionem faciunt. Quintò, quia illi, qui bella gerunt, ad hoc vt conſequantur optatum; oportet quod diruant Eccleſias; & malè tractent loca Sacra, & Religioſis viris moleſtias inferant, quæ omnia culpabilia valdè ſunt. Sextò, quia licet bellum ſit iuſtum non debent inferentes ea infligere, quæ potuerint, ſed vſquequo ſubijciant ſibi hoſtes; habita autem victoria non licet plura damna inferre, quam ſufficiat ad ſatisfactionem iniuriæ, vel damni dati, pro quo pugnatur; & ſi plura inferantur, bellum iniuſtum eſt in quantum ad illa; & tamen poſtquam bellatores inceperunt pugnare, præ ira vix poſſunt tenere modum. Septimò, quia in bello eſt periculum mortis, & niſi quis ſit liber ab omni vitio poterit ibi mori, & damnari. Octauò, quia in bello ſunt multi motus, per quos Homo prouocatur ad multas paſſiones. Nonò, quia propter armorum potentiam milites ſuperbiunt, & alios homines contemnunt, & ſic eis varias violentias inferunt. Hæc omnia Hiſpaniarum nouus Sa-

lomon

lomon Abulenſis ex quibus cognoſcant milites miſerum ſuum ſtatum, & vt rectè viuant, curent.

Hinc tamen oritur grauis difficultas, ſi militiæ ſtatus adeò periculoſus eſt, ergò eſt illicitus, quia nemo debet ſe ſalutis periculo exponere iuxtà illud (*qui amat periculum peribit in illo,*) peccabit ergò, qui militiæ ſe adſcribi permiſerit.

Reſp. Non eſſe periculum proximum, ſed remotum id in quo militia ſuos ponit. Vndè nec vim habet obiectio; Scriptura enim, *qui amat periculum peribit in illo* intelligitur de periculo proximo non remoto.

Sed nota hic pulchram, & fundatam doctrinam, quam docent multi Doctores, & præcipuè *Ioannes Sancius in Selectis diſp.* 10. *num.* 10. Eſto quod concedamus periculum hoc peccandi in quo milites reperiuntur, eſſe periculum proximum, adhùc ipſos excuſare poſſemus à peccato; Nam ob grauem neceſſitatem licitè quis exponere ſe poteſt periculo peccandi. Hinc

Collige varias caſuum ſolutiones quas omnes enumerat dictus *Sancius*. Fidelis poteſt cum infideli communicare, etiam cum periculo ſubuerſionis; ſi neceſsitas vrgeat. *Ità Salas* 12. *tract.*8. *diſp. vnica ſec.* 2. *Sotus lib.* 5. *de iuſt. quæſt. p. art.* 6.

Sic poteſt aliquis ad conuertendas meretrices pergere; etiam cum periculo prolabendi, quidquid dicat in contrarium *Ludouicus Lopez* 1. *par. inſtruct. cap.* 21.

Sic expertus ſi pati pollutionem ex eo quod ità, vel ſic decumbat, non tenetur aliter decumbere, ſi alio modo dormire non poſſit. *Ità Toletus in ſumm. lib.* 5. *cap.* 13.

Sic

Sic ſi aliquis cognoſcat ſe ineptum effici in alijs locutionibus, ſi cum fœminis non colloquatur; etiam ſi expertus ſit mollitie ſe pollui, dummodò pollutionem non intendat poteſt abſolui, etiam ſi non abſtineat à talibus conuerſationibus. *Ità Azorius tom. 3. lib. 3. cap. 23. quæſt. 5.*

Sic poteſt abſolui concubinarius inuiſens concubinam alendi filios cauſa, etiam ſi ſit ſcandalum, & periculum relabendi, quia adeſt cauſa iuſta, & ſcandalum tunc paſſiuum erit; Quidquid dicat in oppoſitum *Pater Veja 1. parte caſ. 14.*

Sic ille, qui ſcit ſe periculum euidens ſubiturum damni Spiritualis, ſi Epiſcopatum acceptet. Neceſsaria tamen talis acceptatio ſit bono communi, poteſt non obſtante tali periculo illum acceptare; quidquid dicat in contrarium *Sotus lib. 10. de iuſtitia quæſt. 2. art. 2.*

Sic Filius etiam ſi manens in ſæculo periculum habeat peccandi, attamen; vt ſubueniat parentibus in magna neceſſitate conſtitutis poteſt Religionem non ingredi, & ſæculum non tenetur declinare, quidquid dicat *Thomas Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 20*

Sic etiam notabilem infert caſum, idem Sancius; Si Maria vg. ſeruetur in aliquo ſecreto loco, ad cuius vitæ conſeruationem expediat ſecretum ſolum cognoſcere Ioannem; adeò vt ſi cibum non miniſtret ei, famæ ſit peritura. Tunc tenebitur Ioannes illi cibum apportare, etiam ſi timeat lapſum fornicationis cum illa, *quia quidquid ſentiat Baños 22. quæſt. 43.*

Fundamentum huius doctrinę eſt quia quando adeſt cauſa vrgens neceſſaria, & iuſta; tunc illud periculum

pro-

proximum non eſt voluntarium; ſed patitur. Deindè etiam quia illud periculum auxilio Dei vinci poteſt, & ipſe etiam homo eſt liber adhùc ad peccandum, & non peccandum; Vndè ob grauem immo etiam ob iuſtam cauſam illud poterit ſubire. Sic concludo in caſu noſtro dato etiam quod militiæ ſtatus eſſet periculoſus quo ad ſalutem periculo proximo, attamen ob Reipublicę, & proprij Principis defenſionem, ob honorem proprium aliquis illud poterit ſubire, nec enim deſerenda eſt occaſio, & periculum peccati cum iactura honoris, & famæ; vt nimis rigidè docet contrarium *Ludouic. Lopez relatus à Sancio loco ſupra.*

Qui nam Contractus ſit ille qui intercedit inter milites, & Principem.

DVBIVM TERTIVM.

VAriæ ſunt in hac re Doctorum ſententiæ. Prima eſt huiuſmodi contractum eſſe innominatum; do vt facias, facio vt des, do tibi ſtipendium dicit Princeps: vt excubias facias, arma pro me deferas, & tractes, periculo te exponas vitæ, o miles. Facio hoc dicit miles, o Princeps, vt ſtipendium mihi des. Ità videntur ſentire aliqui quos partim ſuppreſſo nomine, partim explicitè citat *Criſpoltus in ſuis caſibus militaribus* caſu p.

Secunda ſententia aſſerit militiam eſſe contractum locationis, cum miles dicatur locare Principi, & operas ſuas, & res, arma ſcilicet, & æquum. *Ità Syluester*

in

Digitized by Google

in ſumm. verb. bellum p. num. 8. *verſ.* 4. *Molina tract.* 2. *diſput.* 116. & alij.

Tertia demum aſſerit militiam eſſe quemdam contractum ſimilem contractui Religionis; Ità eruditiſſimus Criſpoltus loco ſupra cuius hic verba pono, quia non facilè præ manibus eum habebis, & ſunt hæc. *Sed verè ſicut ſupra probaui quemadmodum militia contractus innominatus non eſt. Ità nec erit propriè contractus locationis, iſte enim ſine pactione mercedis non intelligitur. At militia contractus talem pactionem abhorret, potius enim ſtipendiorum erogatio prouidentiæ Principis, quam pacto alicui adſcribitur, non enim ſtipendia erogantur mercedis, & pretij nomine; quia vita hominis, cuius iacturam milites exhibent, pretio æſtimabilis non eſt, vt proindè aſſerere non timeam militiæ contractum ſpeciem quamdam ab his diuerſam conſtituere, & ſuas habentem peculiares leges, nullique rectius comparari, quam profeſſioni alicuius Religionis, & ſicut Monaſterium Monacho iure ipſo; etiam nullo ſpeciali pacto interueniente, tenetur alimenta præbere. Ità, & Princeps militi.* Vide quam doctè exponat iſte Doctor ſuam ſententiam; quę mihi certè magis; quàm aliæ placet.

An poſſint Magnates, qui Superiorem agnoſcunt, mouere bellum ſine eius facultate.

DVBIVM QVARTVM.

MVlta hic dubia de bello in genere poſſem mouere v.g. quæ requirantur ad iuſtitiam belli; apud quos ſit poteſtas indicendi bellum, & alia ſimilia, ſed quia breuitati ſummoperè ſtudeo, omnia hæc omitto; vos; ſi ſimilia videre cupitis, remittens inſignibus Doctotibus, qui de bello egerunt, & ſunt *Molina tom. p. diſp.* 116. *Lorca* 22. *ſec.* 3. *diſp.* 53. *Valent.* 21. *diſp.* 3. *quaſt.* 16. *Bañes* 22. *quaſt.* 40. *art.* 1. *dub.* 5. *Ledeſma ſumm. tom.* 2. *tract.* 3. *de Charitate cap.* 13. *Victoria in relecti de Indes Inſulanis dub.* 3. *num.* 27. *Rodriq* 1. *tom. ſumm. cap.* 125. *Vega* 1. *parte cap.* 121. *caſ.* 3. *Syluester Armilla Tabiena verb. bellum Turrianus de fide Spe, & charitate, & Antonius Perez in Laurea Salmantina certamine* 10. *cap.* 13. *num.* 98. *Beccanus de bello in ſumma Theolog.* & alij quos citat *Sancius in ſelectis diſp.* 44. nunc ſufficiat ſatisfacere præſenti dubio.

Reſpondent ergo *Victoria in relecti de iure belli num.* 9. & *Molina tract.* 2. *de Iuſtitia diſp.* 101. dari aliquos caſus, in quibus poſſunt Magnates, etiam ſi Superiorem agnoſcant ſine eius facultate bellum mouere. V.g. in eodem Regno vna Ciuitas ſubiecta vni magnati, alteram oppugnat, & infeſtat, Rexq; requiſitus negligit remedium dare, tunc magnas, ſeù Dux, qui iniuriam eſt paſſus poteſt non ſolum ſe defendere, ſed etiam bellum

mouere,

mouere, & occidere hoſtes, quando hoc neceſſarium eſſet ad hoc, vt ab offenſa abſtinerent. Molina tamen in hoc caſu timet multum hanc facultatem extendere.

Eſt etiam alius caſus, in quo huiuſmodi magnates ex ſe ipſis bellum mouere poſſunt; & tunc eſt, quando adeſt conſuetudo mouendi bellum ſine facultate. Nam cum à iure humano, & gentium, auctoritas bellum indicendi dependeat; Conſuetudo benè potuit dare hanc facultatem Magnatibus etiam, & Dynaſtis, qui Superiorem agnoſcunt. Ità ſupra citati *Victoria*, & *Molina*, & hac de cauſa Caſtrus 2. de iuſta hæreticorum punitione aduertit Ducem Ferrariæ, Mantuæ, Marchionem Montisferrati, ob conſuetudinem hanc auctoritatem habere.

Sed notat, & meritò *Caietanus* hoc verum eſſe ſi conſuetudo bona fide fuit introducta, non per rebellionem, vel per potentiæ magnitudinem, qua à Superiori coërceri non potuerint.

An milites antequam militiæ adſcribantur, debeant examinare iuſtitiam belli.

DVBIVM QVINTVM.

OMnes ferè Doctores qui de bello agunt, hoc dubium mouent, & breuiſſimè reſoluunt. Communis Doctorum ſententia diſtinguit, & dicit; vel milites ſunt ſubditi Principis bellum indicentis, vel non, ſi primum non tenentur examinare iuſtitiam belli, ſi ſecundum tenen-

tur. *Ità Victoria in relectio de Iure belli num.* 31. *Caietanus verb. bellum Gabri. in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 4. *art.* 2. *maior ibidem quaſt.* 20. *Nauarrus num.* 106. *Molina diſp.* 123. *& Layman de Charitate, & oppoſitis vitijs tract. de bello Aſſert.* 6. Ratio eſt, quia eo ipſo quod ſubditi ſunt, nec aliqua poſitiua ratio ipſos dubitantes reddit debent præſumere pro Principe. Extranei verò, ſeù voluntarij milites debent inquirere de iuſtitia belli, & facta inquiſitione ſaltem probabile iudicium ferre, Principem, cui bellaturi ſunt; bellum formaliter iuſtum gerere, nam ſicut ad hominem damnandum, & iudicandum, requiruntur inditia, ac præſumptio iniuſtitiæ; Ità ad hominem adiuuandum, præſertim cum aliorum tàm graui præiuditio, requiri debent inditia, ſeù præſumptio, illum ius agendi habere. Hæc eſt ſententia communis.

Quæ tamen, vt verum fatear non placet, niſi alias rationes, & fundamenta pro ſe adducat, ſicut etiam non placet *Petro Nauarro lib.* 2. *de reſtitutione cap.* 3. *nu.* 278. & ratio eſt quia non eſt ratio, cur ſubditi non teneantur examinare iuſtitiam belli, & extranei teneantur. Nam ſi per ipſos Doctores contrariæ ſententiæ. Ideò extranei debent examinare iuſtitiam belli antequam militent, quia agitur de re, quæ alijs poteſt afferre graue præiudicium; hæc etiam ratio, vt patet conſideranti, militat in ſubditis; vndè vel etiam ſubditi tenebuntur examinare iuſtitiam belli, vel ſi iſti non tenentur, nec extranei. Deindè quotieſcumque aliquis vult mecum facere contractum venditionis, clarum eſt me non teneri examinare, an res, quam mihi vendit, ſit ab ipſo iniuſtè poſſeſſa hoc enim, dùm nullum adeſt dubium poſitiuum, debeo præ-

ſumere,

ſumere; ſcilicet iuſtè ab ipſo poſſideri, & tamen in hac re poſſet eſſe aliorum graue prçiuditium, puta ſi res vendita non eſſet ſua. Ergò ſic à pari ego non teneor; (dū nullum oritur in mente mea dubium poſitiuum) examinare, an bellum ſit iuſtum; ſed iuſtum præſumere debeo maximè cùm in re tanti momenti, debeam iudicare, Principem, & ipſius Conſiliarios, non niſi iuſtiſſima cauſa moueri.

Nec ſic facientes extranei dicerentur parati ad ſequendum quemcumque indicentem bellum, ſiuè iuſtum, ſiuè iniuſtum; quod malum eſt, ſed tantum dicerentur parati ſemper ad bellum iuſtum, & tale ab ipſis iudicatum, & præſumptum.

Dices ergò in hoc nullum eſt diſcrimen inter ſubditos, & non ſubditos. Reſpondeo Concedo; ſed diſcrimen in quo nam conſiſtat ex ſequenti dubio videbis.

An Milites de iuſtitia belli, ad quod mouentur, dubitantes; poſſint militare.

DVBIVM SEXTVM.

IN dubio Superiori, quid milites teneantur facere diximus, dùm militiæ adſcribuntur, nec dubium aliquod in eorum mentibus oritur de iuſtitia talis belli, quod adiuuare intendunt: modo inquirimus, & eſt dubium multo difficilius, quid facere teneantur, dùm dubium habent poſitiuum de iuſtitia talis belli.

Doctores in hac difficultate nimis confusè loquuntur,

&eam

& eam aliquando ſoluunt ſuppoſito dubio, aliquando dubij nullam mentionem faciunt; Vndè ex eis non adeò commodè, quid dicendum ſit colligere poſſumus.

Communior Doctorum ſententia etiam in hac re cum diſtinctione procedit, nam ſi ſit ſubditus bellum indicentis dicunt, quod etiam ſi dubitet, poteſt, & tenetur Principi obedire, & ad bellum procedere; intelligunt autem ſi dubitet ſpeculatiuè non practicè, nam practicè ſine dubio debet operari. Si autem non ſit ſubditus tunc exiſtimat; debere cum hoc dubio iuſtitiam belli examinare, nec poſſe militare. Itá *Moliva, Valentia, Molfeſius, Villabos, Ioannes della Cruz, Ledeſma, Reginaldus, Malderus, & alij quos congerit ſuo more Diana tract. 5. Miſcell. reſol. 96.*

Sine hac diſtinctione procedunt *Petrus Nauarra de reſtitutione lib. 2. cap. 3. num. 278. & Suarez de Charitate diſp. 13. ſec. 6. num. 11.* qui docent, extraneos etiam ſi dubitent de iuſtitia belli; poſſe militare. Fundamentũ eſt, quia debent iudicare Principem illum, & Règem iuſtitiam habere, alias obnoxij eſſent peccato temerarij iudicij cum condemnarent eum exiſtimantes ſine certis inditijs iniuſtè bellare.

Alia via, magis quidem rigida, ſed fortè magis certa incedunt. *Vazquez in p. 2. diſp. 66. cap. 9. & Lorca 22. ſec. 3. diſp. 13. num. 7.* dùm aſſerunt nec extraneum, nec ſubditum, dùm dubitant de iuſtitia belli poſſe militare; Ratio eſt, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda. Quid ergò nos in tanta opinionum varietate dicemus?

Dico ergò ſi loquamur de extraneis, non recedo ab opinione Vazquez, & Lorcæ; hos ſcilicet non poſſe cum

tali

tali dubio ad bellum accedere; nulla enim eſt ratio cur ad praxim reducti hoc dubium ſpeculatiuum debeant deponere, & ſic contra conſcientiam pugnarent.

Nec valet fundamentum Petri Nauarra, & Suarez, tunc ſcilicet hos peccare peccato iudicij temerarij iudicantes iniuſtum Principem indicentem bellum; nam in primis aliud eſt dubitare, aliud certò affirmare. Deindè iſti non dubitant de iuſtitia Principis, ſed de iuſtitia belli obiectiua, valdè enim diuerſa ſunt hæc duo, & benè ſeparari poſſunt, poteſt enim aliquis vt patet, iudicare Principem iuſtè procedere, vel ex aliqua opinione, quam iudicans ignorat, vel ex ignorantia inuincibili, tamen dubitare, immò etiam affirmare bellum eſſe iniuſtum. Vndè in hoc non peccaret iudicio temerario contra Principem cum ipſum iuſtè procedere putaret; etiam remanente dubio de iuſtitia belli; ſi autem loquamur de ſubditis.

Dico ſecundo in duplici etiam ſtatu res hæc conſiderari poteſt, vel ſubditus dubitat de iuſtitia belli ſui Principis cum nullum ſit præceptum ipſum cogens ad bellũ, vel ſtante præcepto, & hoc aduertendum maximè eſt, licet non conſideretur à Doctoribus.

Si dubitat de iuſtitia belli ſui Principis nullo extante præcepto, tunc ſubditus ſicut extraneus ad bellum accedere non poteſt, debet tamen examinare benè, & adhibere ſibi moraliter poſſibilem diligentiam, vt ſciat veritatem, an bellum ſit iuſtum, nec ne prob.; nam tunc iſte ageret contra conſcientiam; ſicut ille qui dubitat an aliquid ſit peccatum nec ne, & committit illud, nec in hoc comperio diſcrimen inter ſubditum, & non ſubditũ;

quod

Quod autem debeat adhibere diligentiam moraliter poſſibilem, vt ſciat veritatem; prob. etiam, nam obligatio ſeruiendi ſuo Principi, & Reipublicæ eſt certa, ſuum autem ius non obediendi incertum: ergò debet benè inquirere veritatem; ne priuet alium iure certò pro ſuo incerto, & hoc valet quando adeſt præceptum Principis. Si autem ſubditus dubitat de iuſtitia belli, extante præcepto Principis, vt ad bellum accedat, tunc recurrendum eſt ad quæſtionem; An ſubditus dubitans, quod res ſibi à Superiore præcepta ſit licita, vel illicita teneatur ei obedire in qua re.

Duplex celebris eſt Doctorum ſententia; aſſerunt teneri tunc ſubditum obedire *Sanchez in ſumm. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 3. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæſt. 9. Valentia, Suarez, & alij, quos citat Diana tract. 3. de Conſcientia dubia reſol. 9.*

Negant hoc *Vazquez in p. 2. diſp. 66. cap. 6.* quem in parte ſequitur Diana ſic dicens. *(Sed ego ſententiam Vazquez amplector, ſed in caſu quo, ſubditus ità dubitans timeret obediendo, ſibi vel tertiæ perſonæ aliquod magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpore,)* & pro ſe etiam alios Doctores adducit Aragonium, Medinam, Leſſium.

Dico ergò non tenetur ſubditus obedire cum hoc dubio Principi præcipienti. Prob. quia ante hoc præceptum erat in libertate non faciendi hoc, immò non poterat hoc facere, ergò etiam poſt præceptum, nam in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.

Nec verum eſt fundamentum contrariæ ſententiæ, & præcipuè Sanchez loco ſupra, adueniente præcepto adeſſe rationem practicè dubium dimittendi, ob aucto-

ritatem Superioris; qui in poſſeſſione eſt, nam non eſt in poſſeſſione pręcipiendi niſi res certò licitas, non autem res, de quibus eſt dubium an ſint licitæ; Deindè Superior non poteſt præcipere ſubdito aliquod, quod in conſcientia ſubditus tenetur euitare. Sed dubitans, an aliquod ſit licitum vel non, non poteſt illud ſubditus facere; Ergò nec Superior præcipere.

Quæres etiam ſi ſubditus ſic dubitans ſtante pręcepto non teneatur, pòteſt ne obedire, & procedere ad bellum ſtante tali dubio, & præcepto.

Reſp. nec poſſe, ratio eſt, quia ideò non tenetur, quia ſtat pro ſua libertate poſſeſſio, ſed cum hac ſua libertate ante pręceptum non poterat dubitans de iuſtitia belli ad bellum procedere; ergo nec poſt pręceptum cum eadem conſeruetur libertas.

Dices Reus iuſtè interrogatus à Iudice de aliquo crimine commiſſo, non tenetur dicere veritatem, & tamen poteſt eam ſine peccato dicere. Ergo ſic à pari in caſu noſtro ſubditus dubitans de iuſtitia belli ſtante præcepto Principis, etiam ſi non teneatur ire ad bellum, attamen poterit ſine peccato ire.

Reſp. tranſeat antecedens de illo enim celebris eſt apud Doctores diſputatio, ſed nego conſequentiam, & do diſparitatem. Poteſt reus dicere veritatem etiam ſi non teneatur; quia poteſt cedere iuri ſuo conſeruandi vitam ob virtutem obedientiæ; quàm dicens veritatem, exercet. At in caſu noſtro ſubditus uon poteſt cedere iuri ſuo, & ſuæ libertati, quia cedens iam peccaret, nec obediret obedientia enim non eſt ad malum.

An bellum licitè poſſit terminari duello.

DVBIVM SEPTIMVM.

DOctores omnes, qui dubium hoc mouent concordes ſunt, & ſic loquuntur. Vel bellum eſt vindicatiuum, vel eſt ſolum defenſiuum; Si eſt vindicatiuum indicens bellũ gerit perſonam Iudicis; huiuſmodi autem Iudex, & vindex fungitur perſona, & officio agentis. Agens autem debet ſuperexcedere patiens; & ſic ſemper debet eſſe potentior. Tali pacto mouens bellum, in duello autem particulari non poteſt hoc ſeruari cum par ſit conditio duellantium; Si autem bellum ſit defenſiuum; debent defendentes iuribus omnibus, quibus valent reſiſtere, vt ipſa agentia naturalia nos docent, quæ contrarijs, qua poſſunt potentia, reſiſtunt; ad duellum autem ſi deſcenderent, non hoc præſtarent, immò ſe graui periculo exponerent; Vndè concludunt Doctores nec in bello vindicatiuo, nec in bello defenſiuo licitum eſt bellum duello terminare.

Si autem in bello defenſiuo videant ſe Principes, & Reſpublicæ debiles; ità, vt, non poſſint aggredienti hoſti reſiſtere, tunc docent communiter, & poſſe ad terminandum bellum, non ſolum acceptare, ſed etiam prouocare ad duellum hoſtes; Iſta eſt doctrina, in qua conueniunt vnanimiter Doctores, & præcipuè ſunt; *Caietanus, Armilla, Emanuel Sà, Nauarrus, Minthaca, Azebedo, Valentia tom. 3. diſp. 17. quos citat, & ſequitur Sanchez lib. 2. Summæ cap. 39. num. 16. Addo etiam Peregrinum*

regrinum noſtrum de duello fol. 36.

Sunt tamen hîc aliqua conſideranda, & in primis non video benè rationem, ob quam bellum etiam vindicatiuum non poſſit licitè duello terminari; nam licet ſpeculatiuè verum ſit, quod hoc bellum mouentes, potentiores eſſe debeant, ob hocque non debeant deſcendentes ad duellum, ad æqualem quoque conditionem cum hoſte deſcendere, attamen prácticè frequenter non videmus hunc exceſſum potentiæ, & ſic deficiente hac ratione, ad euitanda plurima alia mala plures neces; deuaſtationes, depopulationes, non video cur licitè bellum hoc terminari nequeat duello.

Addè; demus etiam quod potentior ſit Princeps indicens bellum vindicatiuum; quam hoſtis, adhùc tamen ille Princeps habet ius, non ſolum vlciſcendi ſe de hoſtibus, ſed etiam iniuriam, & offenſam remittendi; Ergo etiam habebit ius, tali pacto vindictam ſumere, ideſt duello, licet cum dubio ſuum finem conſequatur, nam tunc duellum loco belli ſuccedit; Vndè cum bellum ſit iuſtum, ſic etiam duellum.

De bello autem defenſiuo, quando validè poſſunt ſe hoſtes defendere; non audeo dicere poſſe duello terminari, & conſequenter à communi Doctorum ſententia diſcedere.

An in bello liceat lædere innocentes.

DVBIVM OCTAVVM.

LÆSIO poteſt eſſe, & quo ad vitam, & quo ad fortunæ bona, nam læſio quo ad honorem ferè numquam in bello licita eſt. Si ergo ſit ſermo de læſione, quo ad vitam. Reſpondeo poſſe aliquando interfici innocentes. Ità docent communiter Doctores *Victoria*, *Valentia*, *Sylueſter*, *Emanuel Sà*, *Reginaldus*, *Turrianus*, *Beccanus*, & plures alij vbi de bello tractant: caſus eſt, ſi aliquod oppidum, ſeù arx non poteſt expugnari, niſi diruatur, aut incendatur; & ibi ſint plures innocentes, poteſt dirui, & incendi, & conſequenter per accidens occidi innocentes, non autem directè, & per ſe.

Sed aduerte, ſi non multum referat ad finem belli arcem illam expugnare, non eſſe hoc licitum; nam malum, quod ex hoc ſequitur, ſcilicet tantorum innocentum neces præponderat exiguo illi emolumento, quod habetur ex ipſa dirutione arcis; hoc communiter notant etiam Doctores.

Et hic collige obiter ſolutionem cuiuſdam notabilis caſus, qui paucos ante menſes contigit; ſtrenuus quidam Dux amiciſſimus meus; tributum ab oppido exegit; quod vt ſuppono debitum erat; incolæ illius oppidi non ſolum renuerunt dare tributum; ſed ſe, & paruulos etiam in quandam turrim recipientes; indè tormentis bellicis, multos milites, qui illuc ad exi-

gendum

Digitized by Google

gendum tributum, iuerant, occidebant, pluries eos Dux admonuit; hortatus eſt, precatus eſt; vt ſe darent, deſiſterentque à militum interfectione. Sed nihil proficiens milites furore correpti turri ignem applicarunt; bis ignẽ proprijs pedibus, extinxit pius Dux, tandem ob duritiem incolarum incenſa eſt turris; pluresque ſimul cum nocentibus innocentes, perierunt; & certum fuit in hoc caſu à peccato immunem extitiſse Ducem, ignorabat enim ibi innocentes recluſos; Sed dato, quod hoc ſciuiſset, quæſitum fuit an peccauerit tot innocentes interficiens, varię fuerunt Doctorum in hac re ſententię. Sed re bene conſiderata ferè omnes.

Reſponderunt nullo pacto peccaſse, nam licet ob hoc nulla immediatè victoria obtineretur, ob quem finem poſſunt innocentes indirectè interfici; attamen aliud motiuum maximi momenti erat, ob quod huiuſmodi etiam innocentes poterant necari; exiſtimatio ſcilicet exercitus, & armorum Ducis apud hoſtes, quę maximè confert ad terrendos hoſtes, & conſequenter, ad bellum victorijs terminandum. Et ob hanc exiſtimationem communiter aſſerunt Doctores, poſſe ſingulos, vel aliquos ex vtraque parte milites ad duellum inter ſe ſine peccato deſcendere. Ità *Sanchez lib. 2. ſumm. cap. 39. num. 14. qui alios citat auctores, Nauarrum, Valentiam, Manuelem,* verba Sanchez ſunt hęc. *Quare licet huiuſmodi certamina ab hoſtibus oblata acceptare, non principaliter, ob vanæ fortitudinis oſtentationem, ſed principaliter gratia conſeruandæ bonæ exiſtimationis exercitus apud hoſtes; quia non parum momenti ad victoriam habet.* Ergo ſi ob hanc exiſtimationem, duellum eſt licitum, etiam ob id licità erit

inter-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

terfectio innocentum indirectè volita.

Vniuerſaliter verò loquendo non licet interficere innocentes in bello. Ità *Valentia de bello, Victoria in relect. de iure belli, Syluester verb. bellum, Bonacina de bello,* & communiter Doctores; Ratio eſt quia regulariter hæc interfectio ad nullum finem belli conducit; non ad ſatisfactionem, & recuperationem rei ablatæ; non ad iniuriæ vindictam, quia nullam fecerunt ipſi iniuriam, nec vt partes alienæ Reipublicæ innocentes poſſunt huic damno mortis ſubeſſe, cum Reſpublica non ſit Domina vitæ Ciuium; niſi in aliquo caſu rariſſimo; vt dicit Valentia, nec etiam poſſunt occidi cum ordinariè aliæ ſint viæ ad hoc obtinendum, vt eſt ipſorum innocentũ captiuitas. Vndè infert doctiſsimus Pater Victoria, nec in bello contra Infideles, & Saracenos eſſe licitum innocentes infantes occidere in hunc finem; ne poſteà dultiores facti Chriſtianis repugnent, quia alia adeſt via huic periculo occurrendi.

Si autem ſit ſermo de læſione, quò ad fortunæ bona. Reſpondeo poſſe his bonis innocentes ſpoliari. Ità communiter Doctores de bello, & præcipuè Valentia; Ratio eſt quia hæc ſpoliatio conducit ad belli finem, ad iniuriæ vindictam in rebus, quæ ſubſunt vniuerſali dominio Reipublicæ, quales ſunt res innocentum, vt notauit *Bañes*; ad ſtabiliendam magis pacem debilitando ſic vires hoſtium. Ità *Reginaldus de bello ſec. 4.* quod etiam confirmatur, quia tota Reſpublica reputatur hoſtis, & fas eſt, eam in omnibus ſuis partibus punire quo ad fortunæ bona, ſicuti etiam hac de cauſa fas eſt illi tributum imponere ſoluendum ab omnibus ipſius partibus,

Sed

Sed quæres hic, qui nam dicantur innocentes. Reſpondeo præter mulieres, & pueros; qui à ſcriptura innocentes dicuntur *Deuteron.* 20. (*Cum tradiderit Dominus Deus tuus Ciuitatem in manu tua, percuties omne quod in ea eſt generis maſculini abſque mulieribus, & infantibus.*) Alexander Tertius *in cap. innouamus* alia aſſignat genera perſonarum, quæ innocentes dicuntur, & ſunt Presbyteri, Monachi, Conuerſi, Peregrini, Mercatores, Ruſtici euntes, & redeuntes; Modo tamen iſti Canones per conſuetudinem contrariam abrogati ſunt, vt notat *Reginaldus ſec.* 4. de bello, & ſolum gaudent hoc nomine Legati, & Eccleſiaſtici tamquam ſegregati á Populo, in miniſterio Dei, & aduerte quod iſtorum bona, nec in bello iuſto licet regulariter deprędari.

Dictæ tamen omnes iſtæ perſonæ ſi pugnarent, vt ſontes cenſerentur, eſt doctrina communis.

An Obſides poſſint occidi ſi Princeps, qui eos tradidit violet pactum.

DVBIVM NONVM.

DVplex eſt in hac re ſententia; Prima affirmat poſſe occidi, ſi non ſeruetur pactum; Ità Azorius, & alij quos citat, & ſequitur *Diana tract.* 4. *de homicidio reſol.* 35. Fundamentum eſt; quia alioquin pax obtineri non poſſet; nec hoſtes deuicti in officio contineri poſſent.

Communior tamen ſententia, & probabilior meo iudicio, docet non poſſe interfici obſides, ſi ob aliorum

culpam

culpam non ſeruetur pactum. Ità *Molina diſp. 122. quicitat Lopez, Bonacina de bello, & Leſſius de hypotheca, & pignore dub. 7. nu. 40.* Ratio eſt, quia *Exod. 23.* habetur, Inſontem, & iuſtum non interficies, innocens autem eſſet hic obſes, vt ſupponitur. Tùm etiam à pari. Sic qui fidei iuſſit pro reo, cui periculum capitis impendebat, vt à carcere ad tempus liberaretur, ſi reus non ſtet promiſſis non poteſt loco rei pęna capitis puniri, quia hoc eſt ſupplicium criminis, vt inquit Leſſius, non ſolutio debiti, immò in hoc caſu, nec ſe ad perdendam vitam poteſt obligari; cum non ſit Dominus vitæ ſuæ. Ità ergò in caſu noſtro, non debet innocens, & ſine crimine obſes interfici; poteſt tamen ſe ob ſalutem patriæ, vel Reipublicæ ad perdendam vitam obligare, quia bonum commune, anteponi debet proprio.

Nec fundamentum contrariæ ſententiæ vim habet, nam etiam ſi interfici obſides poſſent, non per hoc hoſtes victi in officio continerentur ordinariè loquendo, nihil enim, obſidum vitas curarent, nec retraherentur ob id à violatione pacti; cum ex tali violatione maximum commodum Reipublicæ ſequeretur. Adde etiam eſſe alia motiua ob quæ in officio victi hoſtes, etiam data noſtra opinione; debeant contineri, nam obſides in communi ſententia, licet interfici nequeant, poſſunt tamen alijs pænis affici, ſpoliari bonis, detineri, in ſeruitutem redigi, ſi Chriſtiani non ſint, quæ omnia mouere debent, & poſſunt hoſtes ad ſtandum promiſſis.

An Prin-

An Princeps exercitui alicuius alterius Principis poſſit per ſuum Statum tranſitum denegare.

DVBIVM DECIMVM.

SI milites tranſeuntes nullum ſint illaturi damnum.

Veram exiſtimo ſententiam communem Doctorum illicitam eſſe talem denegationem. Ità *Diana tract. 4. Miſcell. reſol.* 64. qui ſuo more plures alios Doctores citat; & prob. nam ob hanc denegationem poſſunt bellum Principes mouere licitè; ſic docet ***Victoria præcipuè in relect. de Indis Inſulanis***, ergò ſignum eſt eſſe illicitam: deindè habemus exemplum in Scriptura Sacra; hoc confirmantia; ſic Num. cap. 21. habetur Deum præcepiſſe filijs Iſrael, vt quod pugnarent contra Sehon, & Og impedientes eorum tranſitum; & ratio fundamentalis eſt, quia ſicut communicatio inter homines eſt neceſſaria, & de iure naturæ, ſic etiam media ad huiuſmodi communicationem, inter quæ medium admodum neceſſarium eſt tranſitus, & ſic communis.

An in bello liceat militibus per inſidias, & ſtratagemata victoriam comparare.

DVBIVM VNDECIMVM.

DOctores communiter nemine diſcrepante affirmatiuè reſpondent. Ità *Valentia, Turrianus, Bonacina, Victoria*, & alij quamplures, in tractatu de bello, prob. hoc, quia Deus *Ioſue cap.* 8. iuſſit, vt poneret inſidias, Deus autem nihil iubet iniuſtum; Confir. etiam exemplo, nam etiam in ludo licitæ ſunt ſimulationes, vt notat præcipuè *Ioannes Sancius in Selectis diſp.* 33. Deindè cum bellum iuſtum ſit, cuncta, quæ ad prudentiam bellicam pertinent, iuſta erunt, huiuſmodi ſunt inſidiæ, & ſtratagemata. Ergò; clara igitur eſt concluſio; Vndè tantum pro maiori eius intelligentia reſtat, vt quibuſdã obiectionibus, quæ in hac re afferri ſolent, reſpondeamus.

Obij. Contra præceptum naturæ eſt, quod quis alteri faciat, quod ſibi fieri non vult, ſed nemo vult ſibi fieri inſidias. Ergò nec alteri debet facere.

Reſpondeo negando maiorem; non enim vera eſt vniuerſaliter illa propoſitio, nam non peccat quicumque alteri facit, quæ ſibi fieri nollet; & patet, nam poteſt quis licitè alterum corrigere, accuſare de crimine, & tamen hoc ſibi fieri non vellet. Immò potius aliquando ad contraria tenemur. Sic ergò in caſu noſtro, licitè poſſunt milites inſidijs vti, quas tamen pati ipſi nollent.

Digitized by Google

Obij ſecundo inſidiæ in abſcondito fiunt, nam fruſtrà rete ponitur ante oculos pennatorum, iuxtà illud Prouerbij, ergò ſignum eſt huiuſmodi inſidias eſſe malas; malum enim ſemper odit lucem.

Reſp. non eſſe verum; omnia, quæ in abſcondito fiunt mala eſſe, ſic copula coniugalis, in abſcondito fit, nec mala eſt; Vndè benè valet ſic argumentari, malum eſt, ergò in abſcondito fit, at non è contra, fit abſconditè, ergò malum eſt, ſic iſtæ inſidiæ in bello occultè fiunt, non quia malæ ſint, ſed ne impediantur; Deindè vt notat doctiſſimè *Abulenſis in Ioſue cap.* 8. Iſtæ inſidię propriè non ſunt; nam contra illos inſidiæ propriè fiunt, qui ab inſidijs cauere non debent; at hoſtes ſemper ab eis debent cauere; ſemper eas formidare, ſemper inquirere.

Obij tertiò, inſidiæ pertinent ad fraudes, ergò illicitæ; Ergò iniuſtæ.

Reſp. Inſidias non eſſe fraudes, quia ad eſſentiam fraudis requiritur non tantum, quod occultè fiat, ſed quod iniuſtè fiat. Inſidiæ autem bellicæ in caſu noſtro non iniuſtè fiunt, & hoc ſufficiat pro præſenti dubitatione.

Nota hic verba Layman. (*Porrò tametſi ſimulare aliquod verbo, vel facto, quod non eſt cauſa fallendi hoſtes numquam licet, ſi tamen talis ſimulatio extrà fœdera fiat non eſt peccatum graue, & mortale; ſic enim ſæpè exploratores, & alij milites mentiuntur v.g. ſocios, vel amicos ſe eſſe, cum nocendi animo veniant, & plura alia ſtratagemata commendantur in militia, quæ propter mendacium omni culpa non carent, quamuis ob ignorantiam poſſint excuſari.*)

An Milites peccent relinquentes militiam, fugientes ſine Ducis facultate.

DVBIVM DVODECIMVM.

QVAM frequenter accidat iſte caſus, omnes experimur.

Reſpondeo ergò peccare lethaliter. Ità *Molina de bello diſp.* 116. *Reginaldus de bello ſec.* 3. & alij, qui de bello tractant, & probatur, ex eo quod ſi milites relinquant caſtra, Reſpublica, & exercitus periclitatur victoria, aut anceps, aut nulla futura eſt; ſumptus ingentes facti inanes redduntur. Ergò ob has omnes cauſas, non eſt excuſandus à peccato mortali, qui ſine Ducis facultate à ſignis fugit.

Nec valet dicere, quod hic, & nunc ex fuga vnius militis hæc incommoda non ſequantur, nam rem vniuerſaliter reſpicere debemus, & ſic nullum militem ſingulariter excuſare.

Addè, grauiſſimas eſſe pænas impoſitas militibus fugitiuis, nam capite plectuntur, infames reputantur, ad triremes damnantur, quæ pænæ cum graues ſint, etiam graue delictum demonſtrant, & hoc maximè aduertant Confeſſarij militum.

Sed quæres hic, quando militibus ſtipendium non ſoluitur, poſſunt ne ipſi tunc caſtra fugientes deſerere ſine Ducis facultate. Primò aſpectu aliquibus fortaſsè videbitur, licitè poſſe tunc milites hoc facere; nam contractus, quem faciunt cum Principe, eſt contractus innominatus; do vt facias, facio vt des, qui, ſi deficiat

vnà

Digitized by Google

vnà pars; ſtatim nullus eſt, at deficit in caſu noſtro pars Principis. Ergò, & cæt. Ità ſuſtinent multi, quos citat ſuppreſſo nomine *Criſpoltus in caſibus militaribus caſu p.* alia etiam adducunt ad roborandam ſuam ſententiam: Sed hoc non obſtante.

Reſpondent, & melius meo iudicio: multi Doctores non poſſe milites, etiam ſi eis ſtipendium non ſoluatur; caſtra ſine facultate relinquere. Ità *Criſpoltus* loco ſupra, & ratio eſt, quia talis contractus militiæ non eſt innominatus, vt ſuperius diximus, vndè non valet contrariæ opinionis fundamentum. Deindè eſtò quod talis eſſet, adhùc non eſſet liberum militibus diſcedere ſine facultate, quia hoc impediret iuramentum, quod faciunt milites, dùm militiæ adſcribuntur; cuius ea eſt vis, vt ad obſeruantiam contractus adſtringat ſemoto animæ detrimento, vt habetur *ex cap. cum contingat de iure iurando*. Confirmatur etiam exemplo Clerici regimen alicuius Eccleſiæ acceptantis, qui Eccleſiam ſine Epiſcopi facultate relinquere non poteſt *cap. Beneficium in 6.*

Neque dicas militiæ contractus eſt contractus locationis; ergò ſi Princeps non det ſtipendium; milites tuta conſcientia poterunt non ſtare contractui; nam

Reſpondeo, dato etiam, quod militia ſit contractus locationis, quod fuit à nobis ſupra reprobatum vel ſaltem non acceptatum. Attamen nec per hoc poſſe milites ſine facultate ſigna deſerere, nam ea eſt lex contractuum nominatorum, & conſequenter locationis, quę contractus nominatus eſt, vt etiam adimplemento non ſequuto, in ſuo robore perſiſtant: poſſit tamen non implens,

plens, ad adimplendum compelli, & patet hoc ex pluribus legibus. Ergò ſic in caſu noſtro.

Nota tamen hęc omnia intelligenda eſſe, dummodo milites in extrema non ſint neceſſitate: nam tunc omnia quæ diximus ruunt.

An milites qui accipiunt à Centurionibus pecuniam, vulgò impreſtantiam dictam, antequam in matricula militum adſcribantur poſſint ſine facultate militiam deſerere.

DVBIVM DECIMVMTERTIVM.

LATE, & doctè ſatis de hac re agit *Criſpoltus in ſuis caſibus militaribus caſ.* 51. nos breuiter quęſito ſatisfaciemus. Reſpondeo ergò non poſse tales milites diſcedere ſine Ducis facultate. Ità *Caſtill. deciſ.* 105. *Oldus, & alij*, quos citat, & ſequitur dictus *Criſpoltus*; Ratio eſt quia contractus fuit perfectè completus, ergò quilibet ex contrahentibus, legibus illius contractus ſtare debet. Sed inter leges contractus militiæ eſt, vt milites ità Ducibus ſuis obſtringantur, vt diſcedere à ſignis ſine licentia nequeant, ergò, & cæt. Difficultas ſtat in probando primo antecedenti, quod ſcilicet in caſu poſito iam contractus perfectus fuerit: Probatur ergò, hic fuit mutuus conſenſus, & Centurionis, qui à Principe ius eligendi habet, & militis, qui aſſumi, & eligi contentus fuit: Ergò contractus fuit completus, & perfectus: Sed

Dices antequam milites ſint in matricula adſcripti,

non

Digitized by Google

non ſunt verè milites; Ergò nec contractus militiæ eſt in caſu noſtro.

Reſp. negando antecedens, non enim eſt de eſſentia militis eſſe in matricula adſcriptum. Ità *Oddus*, & plures alij, ſed eſſe adſcriptum eſt ſignum quoddam poſterius denotans talem eſſe militem. Vndè, vt dicemus, illi qui dicuntur.

Ventureros ſunt milites, & militum priuilegijs gaudent, & non ſunt ſcripti; Ergò ruit inſtantia.

Vrgebis Religioſus, donec profeſſionem admittat ſemper egredi è Religione poteſt, & tamen adeſt conſenſus ipſius emittendi talem profeſſionem, ergò conſenſus non ſufficit ad perficiendum multoties contractum, ergò nec in caſu noſtro.

Reſp. eſſe diſparem rationem, nam, ad hoc vt contractus Religioſi ſit perfectus, profeſſio requiritur poſt annum probationis, vltra conſenſum ipſius iam paratum, cum eſſentia huius contractus ſtet in emiſſione votorum; ſic iubentia iura, ſic dictans ius naturale; at in caſu noſtro deſcriptio in matricula nihil confert ad contractum militiæ perficiendum, vt latè probant plures Doctores, & præcipuè *Criſpoltus* loco ſupra.

Nec obſtat, quod tempore antiquo ante deſcriptionem milites Tyrones dicerentur, nec fruerentur militum priuilegijs; nam hęc iam hiſce temporibus in vſu non ſunt.

An milites

An milites, qui ſine facultate Ducis è caſtris diſcedunt cauſa infirmos parentes inuiſendi, peccent.

DVBIVM DECIMVMQVARTVM.

SVppoſita opinione, quod milites ſine cauſa, & facultate è caſtris diſcedentes peccent, ſtatim occurrit pręſens dubium. *Tullius Criſpoltus in ſuis caſibus militaribus* caſum in terminis ponit, eum tamen more Iuriſtarum ſoluit, & potius agit de pæna, quæ iuxtà leges procedendi his militibus infligenda eſſet, quam de culpa in foro conſcientiæ.

Et primo aſpectu videtur, milites in hoc caſu licitè poſſe ſigna relinquere ſine facultate. In primis, quia etiam Religioſo egredi è Religione aliquando licet, ob neceſſitatem parentum, vt eis ſubueniat. Secundo ſubuenire parentibus eſt de iure naturæ, ergò ob hoc bene poſſunt milites relinquere caſtra.

Reſpondeo tamen non poſſe licitè milites ſine facultate ſigna relinquere ob cauſam ſubueniendi parentibus infirmis; hoc videntur ſuſtinere dictus *Criſpoltus* loco ſupra, & *Ferrettus de re militari tit. de obedientia, & pace in exercitu ſeruanda*; & prob. nam Reipublicæ ſalus eſt ſaluti parentum anteponenda, vt potè ſalus communitatis. Vndè charitatis ordo primo eſt erga Deum. Secundo erga Principem. Tertio erga parentes; patent ergò ex hoc reſponſiones.

Ad primum ſtante quod Religioſus egredi è Religione poſsit ad ſubueniendum parentibus, de quo nolo

diſputare

Digitized by Google

diſputare; duæ tamen conditiones requiruntur apud Doctores, vt licitè hoc facere poſſit; & quod parentes ſint in extrema neceſſitate, & quod à Superiore facultatem ſaltem poſtulet. Vndè has etiam conditiones requiro in caſu poſito; vt milites licitè caſtra deſerant.

Ad ſecundum fortiùs eſſe hoc ius naturæ ſubueniendi communitati, quàm particularibus, vndè præualere debet.

An milites, qui ob delictum carcerati fugiunt peccent tamquam caſtrorum deſertores.

DVBIVM DECIMVMQVINTVM.

NON dubito, an peccent milites è carcere præcisè fugientes, nam in hac re, vt poteſtis videre apud *Dianam*, duplex eſt Doctorum ſententia; aliqui affirmant poſſe detentos ob delicta è carcere fugere; alij negant. Sed inquiro, an milites, qui è carcere fugiunt, cum neceſſariò fugientes etiam caſtra debeant deſerere, an peccent ea deſerentes.

Alicui fortè videbitur eos in hoc caſu peccare; nam eo ipſo, quod qui delictum committere decreuit, decreuit etiam ſigna relinquere, nam cum delicto debeatur pæna, & quiſquis curet euadere pænam, ſunt inſeparabilia hæc duo delinquere, & cogitare de fuga; quo tamen non obſtante.

Reſpondeo in hoc caſu milites non peccare, vt peccant fugitiui, hoc etiam debet ſuſtinere, licet alia via ince-

Digitized by Google

dens *Criſpoltus caſu vndecimo* militari: Ratio quia licet verè, & realiter milites deſerant caſtra; attamen indirectè hoc faciunt, non directè; directè enim fugiunt è carcere, quod licitum eſt in ſententia communiori Doctorum. Deindè iſti vtuntur iure ſuo; vndè licet poſtea aliquod fiat, quod de ſe alias eſſet illicitum, fit tamen licitum; Exemplum, & ſimile de illo qui ludit pila; ex quo poſtea ieiunium ſeruare non poteſt mirificè facit ad rem noſtram: nam ſicuti iſte non peccat, ſi non ſeruet ieiunium per multos Doctores, quos videre potes apud *Dianam*; etiam ſi præuideat violationem, & hoc quia operatio illa antecedens ex qua ſecuta eſt illa violatio: licita erat; Sic in caſu noſtro cum ex fuga à carcere ſequatur etiam fuga à caſtris, cum fuga à carcere ſit licita, etiã erit fuga à caſtris, & ſic dicendum eſt non peccare milites in hoc caſu ſigna ſine facultate deſerentes. Vndè nec pænam eis infligendam putat, vt deſertoribus, citatus *Criſpoltus*, vide ipſum ſi curioſè magis agitatum dubium deſideras.

Addè; nec peccare etiam ſi delictum committant animo fugiendi in fraudem. Ità ſuſtinent multi Doctores, quia iſti non fraudant legem, ſed ſe non obligatos legi faciunt.

Ad rationem dubitandi patet iam ex dictis.

An mi-

An milites, qui in excubijs dormiunt peccent lethaliter.

DVBIVM DECIMVMSEXTVM.

CErtum eſt, (nec in hoc dubium aliquod oriri poteſt;) milites in excubijs ex ſuo officio obligationem habere vigilandi. Ità communiter Doctores *Ferretus de re militari, Caballus*, & alij citati à *Criſpolto in caſibus militaribus caſ.* 5. Vndè tempore antiquo, & etiam noſtro, multoties ſic dormientes vltimo afficiuntur ſupplicio, hoc poſito.

Reſpondeo cum diſtinctione, vel iſti milites ex inaduertentia ſe quieti dederunt, vel data opera ſi primum; ridiculum eſt dubitare an peccent, nam inaduertentia à peccato excuſat, etiam ſi aduertere teneatur, ſic nauta qui regere nauim tenetur, non peccat, licet teneatur aduertere. Si ſecundum; ſubdiſtinguere debemus; de locis in quibus excubias milites faciunt, nam ſi ſint loca hoſtium improuiſæ aggreſſioni ſubiecta; tunc ob periculum damni, quod ex eorum ſopore poteſt ſequi, non eos tam facilè à peccato mortali excuſarem, immò abſolutè damnarem; ſecus ſi loca non ſint talia; niſi fortè tunc etiam ex alio capite, eos peccare dicere deberemus ſcilicet ex periculo, cui ſe ſubijciunt, incurrendi pænam grauem; quæ dormientibus in excubijs ſolet infligi.

Aduertè hic, quæ curioſè ſatis aduertit *Criſpoltus;* milites ſic dormientes ex eo potuiſſe in ſoporem induci, quia nullo adhibito Ducis placito, cum alijs ſocijs conuenerunt, non per tres horas, vt ſolet, ſed vel per me-

Digitized by Google

diam, vel per totam noctem vigilare, & pro eis excubias agere; Vel ſomnum cæpiſſe in illis tribus horis, in quibus vigilare debebant; Si primo modo res ſe habeat non excuſat *Criſpoltus* eos milites à pæna; benè autem ſi ſecundo. Contrarium tàmen docet *Polidorus Ripa in tractatu de nocturno tempore*. Sed hanc doctrinam intellige tu de foro externo, non autem de foro interno, nam iuxtà hoc diſtinctionẽ ſupra factam conſiderare debemus.

An Milites, dùm fugiunt in conflictu ipſo, peccent lethaliter.

DVBIVM DECIMVMSEPTIMVM.

A*Bulenſis* hoc dubium reſoluit, mouens *in pri. Paralipomenon quæſt.* 23. An ſcilicet peccauerint Syrij fugientes á Ioab in pugna. Qui Syrij erant milites ſtipendiati Amononitarum.

Reſpondet igitur *Abulenſis*, & cum eo communiter omnes debent reſpondere, peccare grauiter milites, qui, dùm actualiter adeſt pugna, fugiunt ſine aliqua rationabili cauſa, & ſine timore cadente in virum conſtantem, qui maximus debet eſſe in militibus, ad hoc vt dicatur cadere in virum conſtantem. Vndè non debent terreri milites ex periculo mortis, quod vident proximum, nec tali timore correpti ſi fugiant excuſantur à peccato, ſed ſe animosè debent pro Principe tali periculo exponere, & pugnare fortiter cum hoſtibus: & ad hoc tenentur ex vi contractus; quem cum Principe fecerunt. Tunc

Digitized by Google

autem excuſantur à mortali: ſi fugiant timore mortis ineuitabilis, vel etiam quando fugerent videntes nullam ex eorum reſiſtentia futuram Principi vtilitatem; Ità Abulenſis.

Aduertant tamen Confeſſarij, quaſi ſemper milites excuſari à mortali ſic fugientes ob defectum cognitionis timore cauſatum; Vndè in tali fuga non poteſt eſſe aliquid voluntarij.

Quidam Miles, dùm pugnaret, & deficerent glandes, pro ſclopo, extraxit ſibi dentes, quæritur an peccauerit.

DVBIVM DECIMVMOCTAVVM.

CAſus hic potius curioſus eſt, quàm vtilis, non enim tanta facilitate ad hoc currunt milites. Verùm quidem eſt, quod de Inſigni Luſitano milite narrant hiſtoriæ; hic namque, dùm pugnaret, & in ipſo conflictu eſſet contra Infideles, deficientibus pro ſclopo pillis extraxit ſibi dentes, eiſque vice glandium vſus eſt. Vndè potiùs ſoluemus caſum iam ſemel ſecutum, quam futurum.

Soluunt ergò aliqui Doctores, licet pauci, præſentem dubitationem in illa communi, & celebri quæſtione, an aliquando ſit licitum ſe ipſum mutilare, quam mouent ferè omnes Doctores, qui de Iuſtitia, & Iure tractant; & præcipuè breuiſſimè mentionem facit dubitationis præſentis *Leſſius de iniurijs in corpus proximi dub.* 14.

Reſpondeo igitur licitè, & ſine peccato potuiſſe

hanc

hunc militem dentes ſibi extrahere, prob. quia ad defenſionem vitæ cuilibet licitum eſt medijs ordinarijs non admodum difficilibus vti. Immò tenetur eis vti quotieſcumque magni cruciatus in hoc ſubeundi non eſſent; ſi enim magni dolores eſſent tolerandi, cum non ſit tantò dolore digna ſalus; iam non teneretur illa media adhibere, & pati.

Immò ego in hac re, etiam ſine graui neceſſitate, & cauſa; non tantum ad defenſionem, ſed ad offenſionem etiam præſertim Infidelium; milites licitè poſſe dentes ſibi extrahere exiſtimo. Ratio eſt, quia dentes non ſunt membra, ſicuti à fortiori, nec digitus pollex eſt membrum, quidquid dicant *Caietanus*, *& Sotus*, quos in hoc refellunt *Villalobos*, *Hurtadus*, *Præpoſitus*, *Bonacina*, *Auila*, *Megala omnes relati à Diana tract. 2. de Irregularitate reſol.* 26. Hæc enim omnia non ſunt membra; digiti, vngues, dentes, teſtes, barba, capilli, labia. Ex quo infero, & concludo milites ſine peccato poſſe ſibi extrahere dentes, eiſque ad libitum vti, nam per hoc non dicuntur ſui mutilatores.

An Militibus loco pecuniæ, quæ ipſis pro ſtipendio debetur poſſint veſtes dari.

DVBIVM DECIMVMNONVM.

B*Onaciua* conſequenter loquens debet aſſerere hoc eſſe illicitum; & pro ſtipendio militibus huiuſmodi veſtes dantes peccare mortaliter, præſertim cum ſemper cariori

eis

Digitized by Google

eis dentur pretio. Cum enim loquatur iſte *Doctor de Famulis diſp. 3. de contractibus quæſt. 7. punct. 4. quæreſ. 5.* aſſerit eum, qui famulo ſoluit ſtipendium non in ea re, in qua conuenit, ſed in alia peccare, & teneri ad reſtitutionem, & citat pro ſe *Nauarrum cap. 17. num. 117. & Vazquez*, ſed in hac re.

Placet hic doctiſsimi Layman ſententiam adducere, ait ergò *lib. 2. tract. 3. cap. 12. de bello*, ſic (accedit quo ad ſtipendij ſolutionem attinet; etiam conſuetudinem ſpectandam eſſe.

Nam quibuſdam regionibus mos eſt, vt milites in partem ſtipendij ſui, pannum accipere cogantur, eo pretio auctiore, quo mercatores, fœneratores Principi vendiderunt &c. (& poſteà ſubdit.) Hæc, & ſimilia interdũ probabiliter excuſantur, vt ſaltem à Confeſſarijs tamquam manifeſtè iniuſtá damnari non poſsint, partim ob neceſſitatis rationem, quia pecuniæ non ſufficiunt ad bellum neceſſariò gerendum, vel continuandum, quare priuata militum iactura poſthabetur bono publico; Partim, quia milites, dùm militiæ nomen dant ſcientes huiuſmodi conſuetudinem ſpontè in eam conſentire videntur.) Hæc omnia Layman, quæ ſi benè expendant Confeſſarij, à multis dubijs liberabuntur.

An Mili-

Digitized by Google

An Militibus, dùm ſunt infirmi, ſtipendium debeatur in rigore.

DVBIVM VIGESIMVM.

DVbium hoc mouetur rationabiliter ob quæſtionem ſimilem, an quando Famuli ſunt infirmi, eis Dominus dare ſtipendium debeat, nam in hoc, quo ad eſſe ſtipendiati milites cum famulis videntur conuenire;

Quod autem famulis infirmis non debeatur ſtipendium ſuſtinent *Azorius, Reginaldus Filiutius Rebellius, Sylueſter, Imol. Bartol. Dynus, Oldrad.* & alij plures, quos citat *P. Nauarra,* & ſequitur; licet pro contraria ſententia referatur à *Diana tract. 8. de contract. reſol. 86.* nam dictus Doctor *lib. 2. de reſtitutione cap. 2. num.* 213. ſic ait. (Hęc enim ſententia vera eſt cum longo quodam tempore vnius v.g. aut duorum menſium, aut vltrà ægrotaret famulus, ſi enim breuè eſſet tempus vnius ſcilicet, vel alterius hebdomadæ, certè æquum non eſſet illum de ſeruitio ſubtrahere.)

Quod verò famulis infirmis ſtipendium debeatur, aſſerunt *Homobonus, Graſſius* alijque plures, quos videre potes apud *Dianam* loco ſupra.

Sed veniamus ad ſolutionem propoſiti caſus, quidquid ſit de famulis, nam non adequatè currit paritas inter eos, & milites, ſicut nec inter contractum famulorum; & militum. Reſpondeo ergò etiam militibus infirmis ſtipendium deberi; prob. Contractus inter militem, & Principem, vt diximus, habet ſimilitudinem

quamdam

quamdam contractui, quem facit Religioſus cum Religione, ſed Religioſis infirmis debet neceſſaria ſubminiſtrare Religio, ergò ſic Princeps militibus infirmis. Deindè omnes, qui militiæ nomen dederunt, nec è numero militum deleti ſunt, ſtipendia merentur. Ità *Claudius Cottoraus de iure milit. lib. p. cap.* 54. *Tullius Criſpoltus in caſibus militaribus caſ.* 28. Conf. etiam in ſententia magis communi; eis, qui infirmitate impediti in Choro non cantant, diſtributiones debentur, & ſoluuntur ordinariè, vt docent *Sylueſter, Angelus, Sotus, Couuarruuias,* omnes relati à *P. Nauarra lib.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *nu.* 208. Ergò ſic in caſu noſtro.

Hinc habes ſolutionem etiam caſus, quem in terminis ponit *Criſpoltus* loco ſupra. In quibuſdam militijs, & præcipuè in militia Pontificia mos eſt delinquentes milites, ad catenam damnare, oritur dubium, cum militiæ reſtituuntur debeant ne ſtipendia recuperare.

Ferrettus de re militari, dùm agit de pæna deſertorum debet conſequenter dicere *num.* 180. tales milites non poſſe ſtipendia recuperare; nam deſertoribus ex iure ſtipendia non debentur. Hoc autem deſertoris nomen in re militari generale eſt, & omne genus delictorum, quæ à militibus committuntur comprehendit.

Attamen, quod talibus militibus ſtipendia ea debeantur, quæ, ſi liberi extitiſſent; eis fuiſſent ſoluta, ſuſtinent communiter Doctores, qui de hac re agunt. *Criſpoltus loco ſupra Cottoraus.* Fundamentum eſt, quia iſti milites ad catenam damnati, non ſunt deleti è numero militum, & ſunt in vſu militię, licet in vilibus.

Nec habet vim fundamentum *Feretti.* Tùm quia

non habetur per iura, quod delinquentes milites deſertores nuncupentur. Tùm quia, etiam ſi ſint damnati non ſunt in pæna, quæ cum militia ſit incompoſſibilis.

Obijcies contra doctrinam traditam; Capellani, qui Miſſam tenentur dicere, etiam ſi ob infirmitatem nequeant hoc facere, attamen reſtituere tenentur fructus, niſi per alios Miſſas dici curent. Ergò etiam in caſu noſtro milites reſtituere ſtipendium, vel ſaltem eis ſolui non debebit, etiam ſi infirmi ſint, niſi per alios militaria munera curent exerceri.

Reſp. quidquid ſit de antecedenti, de quo egregiam docet doctrinam *Petrus Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 2. nu.* 20. negando conſequentiam, & dando diſparitatem inter caſum primum, & noſtrum. Capellanus idcircò dùm eſt infirmus, per alios Miſſas dici debet curare; nec alio modo ei debentur Capellaniæ fructus, quia huiuſmodi fructus dantur ei, non ad ſuſtentationem primariò, ſed vt opus illud exerceatur, vt Miſſæ dicantur, quę cum non dicantur, ſiuè hoc fiat cum culpa, ſiuè ſine culpa, nihil refert, ad hoc quod poſſit Capellanus recipere ſtipendium, & fructus. At in caſu noſtro militibus ſtipendium datur non primariò ad hoc; vt exerceant militaria, ſed ad ſuſtentationem, nam pro exercitijs militaribus, vt dixi in dubio; *Qui nam contractus ſit militia*, nullum æquale, & dignum ſtipendium dari poteſt? Quando autem ad ſuſtentationem, & alimenta primariò datur ſtipendium, etiam infirmis debet dari, & patet exemplo ſupra adducto de Canonicis, qui ob infirmitatem à Choro abſunt, qui tamen in communiori ſententia diſtributiones merentur, nam illis tales diſtributiones dantur

ad ſuſtentationem primariò.

Scias etiam hic obiter ſtipendium militibus deberi, & dùm ſunt aliqua iuſta cauſa in itinere, & dùm ſunt apud hoſtes capti. Ità *Surdus de alimentis quaſt.* 76.

Quæ poſſint, vel non poſſint Duces, & Milites ſine violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ.

DVBIVM VIGESIMVMPRIMVM.

NON in vanum laborabimus, ſi hic multa breuiter congeramus, quæ poſſunt, & non poſſunt à Ducibus, & militibus fieri ſine violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ; nam ſæpiſſimè poſſunt hęc in militia occurrere.

Quæres ergò primò. An Duces poſſint milites delinquentes, & ad Eccleſiam confugientes ibi armis prohibitis ſpoliare, & hic caſus me præſente in quodam præſidio accidit, de quo interrogatus, licet multos reuoluerem libros; vt eius ſolutionem afferrem apud paucos tamen inueni.

Reſpondeo ergò poſſe ſine aliqua violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ Duces in ipſa Eccleſia, milites delinquentes armis prohibitis ſpoliare. Hoc docent *Laurentius de Portel. in ſuis dubijs Regularium verb. Eccleſia, & etiam Suarez tom. pri. de Religione lib.* 3. *cap.* 12. qui citat *Couarruuiam*. Ratio eſt, quia detinere huiuſmodi arma contra legem eſt, quod Eccleſia defendere non intendit. Vndè illa, vt inquit *Suarez* non eſt delinquentis pæna, ſed ſubtractio materiæ culpæ.

Nota hic obiter, quod ſi aliquis raperet Fœminam, & raptam ad Eccleſiam deferret, poſſet Fœmina ab ea extrahi. Ità *Suarez* & colligitur *ex cap. de Raptoribus*. Sic etiam, ſi quis debita aliena ibi detineret poſſet illis ſpoliari per eum, qui ad hoc poteſtatem haberet.

Quæres ſecundò. An Principes, ſeù Duces poſſint cogere conſanguineos Clericorum, puta patrem, fratrẽ, & ſimiles, dùm cum dictis Clericis degunt, ad recipiendos in hoſpitio milites.

Reſpondeo varias eſſe in hac re Doctorum ſententias, quas breuiter referam, nolo enim me multum Oceano immenſo huius Immunitatis Eccleſiaſticæ conſignare.

Antonius de Marinis cap. 167. *num.* 4. diſtinguit, & dicit non poſſe Principes, & Duces ad hoc cogere dictos conſanguineos, ſi Clerici ſint in Sacris conſtituti, ſecùs ſi non ſint.

Paulus Squillante de Priuilegijs Clericorum, & noſter *Molfeſius in ſumm. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 166. dicunt parentes Clericorum, qui vnà cum eis viuunt, non teneri hoſpitari milites; Vndè ad hoc nec cogendos eſſe à Principibus, & Ducibus, debere tamen contribuere in pecunia pro tali hoſpitio.

Riccius par. 3. *reſol.* 28. *Carolus de Graſſis* citati à *Diana tract. pr. de Immunitate Eccleſiaſtica reſol.* 32. ſuſtinent Immunitatem hoſpitandi milites conceſſam Clericis extendi etiam ad eorum parentes, patres, fratres &c. afferunt ad confirmationem exempla; nam priuilegia conceſſa Doctoribus extenduntur ad eorum fratres, & parentes, hanc dicit magis communem ſententiam *Diana*. Tu commune dubium ne dixeris; ſed expende.

Quæres

Quæres tertiò. An ob indigentiam belli poſſint milites bona Eccleſiaſticorum deuaſtare.

Reſpondeo, ſuppoſito indigentiam belli eſſe illam, quæ neceſſaria eſt ad aliquem ex finibus belli conſequendum; eſſe licitum bona Eccleſiaſticorum deuaſtare, rapere, ſurripere; nec peracto bello teneri milites ad reſtitutionem, quia nulla apparet ratio, ob quam ad hanc obligandi ſint. Ità *Bonacina, Molina in tractatu de bello*, alijque plures.

Quęres quartò. An Duces, & Gubernatores tempore obſidionis poſſint compellere Eccleſiaſticos, vt vendant frumenta, & ſimilia neceſſaria.

Reſpondent affirmatiuè *Villadiego citatus à Diana tract. pri. de Immunitate Eccleſiaſtica reſol.* 87. & etiam *Guazzinus de defenſione reorum tom.* 2. *def.* 20. qui licet in alijs caſibus ſuſtineat contrariam ſententiam, vt tempore careſtiæ, vel peſtis, attamen in hoc ex eius verbis colligi clarè poteſt, quid ſentiat. Ratio ipſorum eſt quia quando periculum eſt in mora, publica neceſſitas poteſt dare iuriſdictionem Laico ſupra Eccleſiaſticos. At in caſu noſtro, niſi hoc fiat, periculum eſt in mora. Sed tutior, & communior ſententia docet non poſſe.

Quæres quintò. An Duces, & Gubernatores poſſint extrahere ex Eccleſia, qui machinati ſunt dare Vrben hoſtibus.

Reſp. non poſſe eſt ſententia communis, quam docent *Peregrinus, Farinacius, Bonacina*, quos omnes, & plures alios citat, & ſequitur *Diana tract. p. de Immunitate Eccleſiaſtica*, & prob. ex Conſtitutione *Gregorij* XIV. Ex qua clarè patet, tunc tantum non gaudere Immunitate

Eccle-

Eccleſiaſtica in Principem machinantem, quando contra eius perſonam eſt machinatus, ſecus ſi in eius bona, dignitatem.

Contrarium tamen docet *Gambacurta de Immunitate lib. p. cap.* 44 Sed tu ne credas huic Doctori.

Quæres ſextò. An ſi Prouinciales tempore deprædationis adducant multa bona ad Campanile Eccleſiæ diſiunctum; milites deprædantes licitè poſſint ea indè extrahere ſine violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ.

Reſp. hoc benè poſſe milites facere dummodò Campanile diſtet pluſquam triginta paſſus. Ità *Diana tract. p. de Immunitate Eccleſiaſtica reſol.* 108. Prob. quia ſicuti Oratoria priuata Domorum, vbi Euchariſtia ſumitur, non gaudent tali Immunitate ſic multò minus ea gaudebunt dicta Campanilia diſiuncta.

Contrarium docet *Antonius Nouarius in ſumma Bullarum tit. de Immunitate Eccleſiaſt.* Fundamenta; quibus nititur ſunt, tùm quia Palatium Epiſcopi gaudet hac Immunitate, etiam ſi ab Eccleſia diſiunctum; tùm quia in Campanili adſunt Campanæ Oleo Sanctiſſimo Conſecratæ; ſed non ſatis firma ſunt iſta Fundamenta, nam.

Ad primum dico Palatium gaudere hac Immunitate ob dignitatem Epiſcopalem; Ad ſecundum; non benè ex Sanctitate campanarum argui Immunitatem Campanilis. Nam magis Sancta ſunt Oratoria priuata in quibus Miſſa celebratur, & tamen non gaudent hac Immunitate.

An Duces

Digitized by Google

An Duces, Principes, dùm bellum eſt iuſtum, & ſegetes comburuntur, teneantur ad ſoluendas Decimas ſegetum combuſtarum.

DVBIVM VIGESIMVMSECVNDVM.

CErtum eſt apud omnes, quando iniuſtè ſegetes comburuntur, arbores ſucciduntur, &c. teneri Duces hoc facientes ad ſoluendas Decimas, & Eccleſiam poſſe ab eis Decimas petere tamquam debitas.

Difficultas ergò eſt, quando hæc iuſtè fiunt vt accidit in bello iuſtò frequentiſſimè.

Aliqui, inter quos eſt *Ioannes Andreas* relatus à *Suarez tom. p. de Religione lib. p.* Quomodo Decimæ debitæ ſint Eccleſiæ *cap. 36.* abſolutè docent non eſſe tunc Decimas ſoluendas.

Suarez tamen loco ſupra in hac re cum limitatione incedit ſic dicens. *Crediderim autem hoc habere locum, quando illa deſtructio fructuum eſſet medium neceſſarium ad victoriam, ſeù ad agendum bellum ſecurè, & expeditè, tunc enim per ſe intenditur finis iuſtus belli, & damnum illud eſt per accidens. At verò quando id non fit vt medium neceſſarium ad bellum, ſed fortaſſè in pœnam iniuria illatæ, tunc non videtur poſſe fieri iuſtè cum Eccleſiæ nocumento, quia poſſet agi bellum ſine tali damno, & poſt comparatam victoriam poſſet illa pœna imponi in bonis proprijs eorum qui delinquerunt ſine damno Eccleſiæ, numquam enim licet innocentes cũ nocentibus voluere in participatione pœnæ, quando ad finem belli neceſſarium non eſt.* Hęc *Suarez* à quibus non recedas.

An Offi-

Digitized by Google

An Officiales puta Centuriones, Decuriones, Sargentes, poſſint ob delicta vulnerare milites.

DVBIVM VIGESIMVMTERTIVM.

NON eſt inutilis huius quæſiti ſolutio, nam ſæpiſſimè videmus caſum euenire, vndè *Tullius Criſpoltus in ſuis caſibus militaribus,* in terminis hanc difficultatem ponit; *Caſu enim* 29. inquirit, an miles quidam, qui furtum commiſerat potuerit à Sargente ſuo vulnerari, &

Reſpondet meritò negatiuè, pœnaque fuiſse talem Sargentem dignum, quia culpæ quoque obnoxius fuerat, ſed cum limitatione intelligenda eſt talis opinio, vel enim milites delinquentes ſunt in acie, & pugna, vel extra aciem, ſi in acie tunc poſſunt à quocumque officiali iuxtà criminum qualitatem puniri. Ratio eſt, quia præliorum delicta ſubita punitione indigent, nec præpoſteram exigunt emendationem, nec congruum eſt, vt ſi in acie committatur delictum Auditori remittatur cauſa, & patet exemplo in militibus, qui fugiunt, aut cedunt qui ſtatim poſſunt puniri, vt colligunt ex legibus *Ayala, Petrinus Bell. Decianus,* & alij quos citat, & ſequitur citatus *Criſpoltus*, vel ſunt milites delinquentes extra aciem, & tunc ſubdiſtinguendum eſt, vel delicta ſunt militaria circa exercitia militiæ, & hæc benè poſſunt ab Officialibus militiæ puniri, vel non vt furta, vulnerationes, iniuriæ illatæ, & hæc puniri debent ab Auditoribus Exercitus poterunt tamen ob hæc etiam leuiter tamen ab Officialibus puniri; puta baculi,

Digitized by Google

vel enſis inuerſi ictu. Hæc omnia habes apud *Criſpoltum* vide ipſum, & non pigebit.

Dux quidam Centurioni præcepit, vt multos Prouincialium equos conduceret ad deportandam ex quadam Ciuitate annonam obtemperauit Centurio equos conduxit, ſed ſine cuſtodia mittens, ab hoſtibus deprædati ſunt. Dubitatur an Dux teneatur reſtituere damnum Prouincialibus, vel Centurio.

DVBIVM VIGESIMVMQVARTVM.

CAſum hunc vidi in quodam Oppido eueniſſe, & poſteà apud *Laurentium de Portel. 3. par. caſ.* 27. in terminis inueni. Reſpondeo ergò Ducem illum nullo pacto eſſe obligandum ad reſtitutionem; ſed Centurionem. Ità etiam reſpondet doctiſsimus *Laurentius de Portel. loco ſupra,* & prob. Si Dux ad hanc reſtitutionem teneretur, eſſet quia iuſſit tales equos conduci, & locari; Sed ex hoc non tenetur ergò. Prob. minor; Maior enim de ſe clara eſt, talis locatio de ſe non eſt cauſa ordinata ad illud damnum inferendum. Vndè ex hac præciſa actione non debet damnari, & obligari ad reſtitutionem dictus Dux. Deindè confirm. ex regula illa generali. Quod dico tibi, vt facias, & tu potes facere benè, non dico tibi vt facias malè, ſed Dux dixit Centurioni, vt conduceret equos, ergò vt benè conduceret, non malè, non ſine cuſtodia.

Digitized by Google

Dices iſte Dux fuit conditio ſine qua equi conducti non fuiſſent, & conſequenter, nec rapti.

Reſp. concedo antecedens; hoc tamen non facit, quod teneatur ad reſtitutionem; nam ad hoc vt aliquis obligetur ad reſtitutionem non ſufficit, quod ſit conditio ſine qua non, ſed debet eſſe cauſa damni. Ità *Sayrus in Claui Regia lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 4.

An milites ſe ipſos obligantes fidei iubendo verè obligentur in conſcientia; deficienti principali, fideiuſſionem ſoluere.

DVBIVM VIGESIMVMQVINTVM.

CAſus hic frequenter accidere poteſt, maxima enim, & intima eſt, quæ inter milites contrahitur familiaritas. Vndè ipſa ducti facilè eſt, quod fideiubeant pro amicis.

Prima ergò ſententia eſt affirmatiua. Ità *Gomez lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 19. *Angel in d. l. milites, Carrocius de locatione, & conductione par. p. quibus non eſt permiſſum conductorem eſſe num.* 8. Ratio, & fundamentum huius ſententiæ eſt quia licet ex *l. milites C. de re militari*, militibus interdicatur fideiubere, attamen diſpoſitio talis legis iam non eſt hodierno tempore in vſu, vndè verè milites fideiubentes obligantur ſicut alij.

Secunda ſententia, quæ magis placet eſt negatiua. Ità præcipuè *Criſpoltus in caſibus militaribus caſ.* 36. *Riminal. Alex. Bertazol.*, & alij Iuriſperiti, quos ipſe citat. Ratio eſt, quia cùm milites fideiubere non poſſint, vt patet per plura iura, eorum obligatio in hac re inefficax

eſt,

eſt, & nullius roboris iudicanda eſt.

Nec obſtat fundamentum primæ ſententiæ: nam vt optimè aduertit idem *Criſpoltus*. Verùm quidem eſt, legum harum diſpoſitionem non eſſe amplius in vſu, reſpectu militum, qui Italicè vulgò dicuntur *Battaglione, Soldados dela militia*, qui non ſunt deſtinati ad aliquod certum bellum; ſeù exercitium, nec ſtipendia recipiunt, & ſic vera eſt prima ſententia, at falſum eſt, quod non ſit in vſu reſpectu militum, qui ſtipendia recipiunt; & à ſignis, & caſtris ſine Ducis facultate abeſſe non poſſunt; & ſic ſuſtinent *Oddus, Roland. Gamb. Franch.* & alij plures, quos videre potes apud ipſum *Criſpoltum*.

Inſtabis milites fideiubentes renunciant hoc ſuo priuilegio ergò obligantur ad fideiuſſionem.

Reſp. quidquid ſit an poſſint renuntiare; quod aliam quæſtionem exigit, an particularis renuntiare poſſit priuilegio communitati conceſſo; Reſpondeo hoc non eſſe militum priuilegium; interdicta eſt enim militibus fideiuſſio non propter eorum fauorem, cum hoc potiùs ſit ademptio libertatis benefaciendi, ſed propter fauorem militiæ, ne ærè alieno grauati milites à ſeruitio Principis arceantur, vt notant plures Iuriſperiti, apud ipſum *Criſpoltum*, vndè huic priuilegio non poſſunt renuntiare, ſicut nec Clerici renuntiare poſſunt priuilegio eorum dignitati conceſso. Vndè etiã ſi aliquis Clericus ſe permitteret percuti, percutiens tamen malo animo incideret in Cenſuras.

An Milites noſtri temporis gaudeant priuilegijs, quæ militibus per leges conceduntur.

VIGESIMVMSEXTVM.

ADuertant hoc maximè Confeſſarij militum, nam ſuo muneri quam plura, vtilia ex huius dubijs reſponſione colligent. Sunt ergò in hac re tres Doctorum ſententiæ.

Prima negatiua. Ità multi relati à *Theſauro deciſ.* 111. *num.* 5. *Peregr. Honded.* & alij.

Secunda diſtinguit, & dicit eos milites gaudere priuilegijs conceſſis per iura militibus, qui in expeditione ſunt, & in diſcrimine belli, non autem eos, quos limitaneos, & ſtationarios appellamus, eos ſcilicet qui ad Prouinciæ quietem, & ad reprimendos repentinos hoſtium incurſus detenti ſunt. Ità *Minſtinger. Oddus, Gail.* quos refert *Criſpoltus in ſuis caſibus militarib.*

Tertia abſolutè affirmat milites noſtri temporis gaudere priuilegijs, hęc eſt communior, hanc ſuſtinet nouiſſimè *Criſpoltus in ſuis caſib. milit.* qui plures congerit Iuriſperitos idem ſentientes *Graueum Pruuebemnium de Regalibus, Boceriam, Didacum Perez in ordinationibus Realibus Regni Caſtell. de los Caualleros, Menochium conſ.* 408. *num.* 56. *Peregr. Maſtrill. deciſ.* 173. *num.* 5. & alios plures. Ratio eſt, quia omnes ſunt veri milites, qui certa ſtipendia recipiunt; nec ſine Ducis conſenſu à ſignis recedere poſſunt; nec refert ſi ſint ſtationarij pro defenſione, ſcilicet; vel ad offendendum deſtinati, nam in vtroque caſu ſunt parati pro defenſione Principis mor-

tem

tem ſubire. Hæc eſt probabilior meo iudicio in hac re ſententia; tù tamen, ſi non placet Conſule Iuriſperitos ab eis enim magis hæc res, quam à Theologis dependet.

An Milites, qui poſt commiſſum delictum, nomen militiæ dant debeant ab Auditoribus, vel à Iudicibus loci, vbi delictum commiſſum eſt, iudicari.

DVBIVM VIGESIMVMSEPTIMVM.

RESpondeo regulariter loquendo debere ab Auditoribus iudicari, & puniri. Ità tenet *Criſpoltus in caſibus militaribus caſ.* 32. & hoc etiam debent ſuſtinere plures alij Iuriſperiti, *Farin. Barboſa, Couuaruuias, Clarus, Mencha, Oldrad.* quos omnes citat dictus *Criſpoltus*. Multę ſunt rationes, quæ probant, & roborant reſponſum. Primò, milites regulariter non niſi à proprio Iudice ſunt iudicandi, iuxtà *l. offic. Regentis*, §. *officium Tribunorum ff. de re milit.* Secundò, quia priuilegium ſuperueniens eximit à iuriſdictione Iudicis pagani, & mutatio ſtatus, cauſat etiam mutationem fori, ſed poſt delictum ſi quis fiat miles mutat ſtatum, ergò, & forum. Deindè eſto quod non mutaret ſtatum, adhùc valet reſponſum; nam delinquens, ne dùm poteſt puniri à Iudice originis, & delicti, ſed etiam à Iudice domicilij, vt communiter docent Doctores *Clarus in prax. quæſt.* 38. *verſ. eſt autem Farin. quæſt.* 7. *verſ. ſecus ſi Iudex,* miles autem ibi habet domicilium vbi ſtipendium accipit, & meretur *l. municipes,* ergò.

Dices

Dices Religioſus ſi poſt delictum Religionem ingrediatur debet puniri à Iudice etiam Laico, & loci vbi commiſſum eſt delictum, vt patet per Bullam Sixti V. ergò ſic à pari &c.

Reſpondeo negando antecedens, quod etiam negant *Homobonus, Bartolomaus de Vecchis*, & magis abſolutè *Marta*, qui nec in bonis poſſe puniri à Iudice Sæculari talem Religioſum exiſtimat, vt putabant *Homobonus, & de Vecchis. Vide Dianam tract.* 1. *de Immunitate Eccleſiaſtica reſol.* 95. qui idem ſuſtinet de illo qui poſt delictum habitum Clericalem aſſumpſit, ſed hoc alio in loco; Bulla autem Sixti V. iam fuit moderata à Clemente Octauo vt notant communiter Doctores. Vndè non valet argumentum.

Sed quæres, quid ſi iſti milites delinquentes antequam militiæ adſcriberentur fuiſſent iam citati à Iudice loci, vbi commiſſum fuit delictum, & etiam inquiſiti.

Criſpoltus loco ſupra mordicus defendit tales milites remittendos eſſe ad Iudices, à quibus ſunt citati, & inquiſiti, & ratio eſt quia ex præuentione reſultat is effectus, vt cauſa ſit proſequenda coram Iudice qui citare incæpit.

Contrarium tamen docent alij plures Iuriſperiti.

Tu eos magis in hac re Conſule,
quam Theologos.

An Milites

Digitized by Google

An Milites, qui extra Caſtra delinquunt, debeant puniri ab Auditoribus, vel à Iudice Prouinciali.

DVBIVM VIGESIMVMOCTAVVM.

LOquor de militibus qui non ſunt deſertores, ſed degunt extra Caſtra ob res neceſſarias, vel ob alias cauſas.

Dubium hoc mouet, & egregiè ſuo more reſoluit *Criſpoltus caſ.* 34. & licet primo aſpectu videatur; hos milites à Iudice Prouinciali debere iudicari attamen.

Reſpondet dictus *Criſpoltus* à Iudice militari eſſe iudicandos, & puniendos probatur clariſſimè *ex l. Deſertores ff. de re militari* vbi habetur ad ſuum Ducem præſes mittet elogium ne dùm, ſed etiam deſertorem, & etiam *ex l. p. C. de exhibendis reis, & l. Magiſteria C. de iuriſdictione omnium Iudicum.*

Dices in *l. Deſertorem* excipitur caſus; niſi quid grauius extrà caſtra in Prouincia miles admiſerit, ergò quando grauiter delinquunt milites non debent remitti ad proprium Iudicem.

Reſp. exceptionem caſus tantum habere locum reſpectu militum, qui ſunt deſertores, non autem illorum, qui extra clauſtra tantum degunt, vt per alia iura colligitur, ſuſtinent hoc *Claudius Cottoraus de iure militum lib. 2. cap. 6.* & alij. Vndè concludo milites extra caſtra degentes, etiam ſi grauia delicta committant ad proprium Iudicem militarem eſſe remittendos, & ſic ſibi in praxi accidiſſe teſtatur *Criſpoltus* loco ſupra.

Nota

Nota hic diuerſimode eſſe ſentiendum de militibus deſertoribus, qui in deſertione agentes graue committunt delictum, nam hi à Iudice Prouinciali debent iudicari, & puniri. Ità *ex l. deſertorem colligit Balthaſar Ayala de iure & officio belli lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. & alij.

An Decuriones, ſeù alij Officiales, videntes milites inter ſe rixantes enſibus; ſi rixam ſedare non curent peccent.

DVBIVM VIGESIMVMNONVM.

T*Vllius Criſpoltus caſ.* 15. videtur ſentire tales Decuriones, & Officiales peccare, vndè etiam aliqua pęna dicit eos eſſe plectendos; ex eius tamen verbis non poſſumus nos benè colligere, an peccent, nec ne.

Reſpondeo ergò peccare, & contra iuſtitiam, & contra charitatem. Prob. Prima pars, quia ex officio iſti tenentur tumultus, & rixas inter milites ſubditos impedire; Sic Iudices, ſic Cuſtodes ex iuſtitia tenentur ea ſeruare, vel impedire, quæ contra id quod curæ ſuæ eſt demandatum fiunt, hanc concluſionem ſuſtinent plures Iuriſperiti, quos citat, & ſequitur *Farin. de homicidio quæſt.* 25. *num.* 314. *ſublimita 6.* cuius hęc ſunt verba (*Publicus Officialis tenetur, delictis, & ſcandalis obuiare, & proptereà ſubditos oppreſſos defendere, rixantes diuidere, & eos capere ſi poteſt.*)

Prob. etiam ſecunda pars, quod ex charitate teneantur nam rixantes in rixa periclitantur, & in extrema ſunt neceſſitate, ergò ex charitate quiſquis tenetur eos diuidere,

dere, & diuidendo eorum vitæ ſubuenire.

Sed dices, interponere ſe in rixa, eſt ſe exponere periculo vitæ, ergò cum tantò incommodo, ex nulla ratione aliquis tenetur hoc facere.

Reſp. quidquid ſit de antecedenti non debere forſitan hos Officiales euitare hoc periculum, ſicut nec milites debent pro recto regimine Reipublicæ euitare tale periculum. Sic Seruus tenetur Dominum defendere, ipſiuſque ſalutem ſuæ propriæ ſaluti præponere. Addè ordinariè non eſſe tale periculum interponentibus ſe rixis, vt diuidant, & ſeparent rixantes, vndè nec facit contra nos obiectio.

Nota hic obiter milites ſi ſuum Capitaneum rixantem videant teneri eum defendere. Ità *Ioannes de Lignano tract. de bello cap. 93.* ſic vxor, quæ tenetur defendere maritum, & è contra. Ità *Bolognet. in repetion. leg. vt vim num.* 82. *Boer. deciſ.* 183. *num.* 6. *& Farinac. loco ſupra ſublimit.* 5. *in vxore.*

Sic ſubditus Diœceſanus tenetur defendere ſuum Epiſcopum, ſic Parochianus ſuum Curatum. Ità *Claudius Sayſel in l. vt vim, & Farinac. loco ſupra ſublimit.* 8.

Sic quando Clericus eſt inſultatus quiſquis tenetur eum defendere, quando tamen ſic defendendo, & ſe in rixa interponendo, non adeſt periculum vitæ *Iaſon in l. vt vim, & Farinac. loco ſupra ſublimita* 9. Immò hic mouetur dubium, an ſi quis poſſit defendere Clericum inſultatum, & non defendat incidat, in Excommunicationem, *cap. ſi quis ſuadente Diabolo,* varias in hanc rem adducit loco ſupra *Farinacius* Iuriſperitorum ſententias. Tu in hac re ab *Auila* ne diſcedas, hic Doctor *parte* 7. *diſp.*

6. *ſec.* 2. *dub.* 7. doctiſſimè procedit cum diſtinctione; Tunc enim dicit aliquis ſit irregularis non impediens rixam, & conſequenter homicidium, quod ex ea ſequitur, ſi ex iuſtitia impedire teneatur, & commodè ſine vitæ periculo poſſit impedire, vt Iudices; miniſtri Iuſtitiæ, Gubernatores, & ſic etiam in cenſuras affixas tali homicidio incidit.

Tunc autem nulla incurritur irregularitas, nulla cenſura, quando ex charitate, quis tenetur impedire rixam, & homicidium ex ea ſecutum. Obligatio autem defendendi Clericum inſultatum, an ſit ex iuſtitia dubium eſt *Couaruuias* 2. *par. paraq.* 2. *num.* 7. eſſe obligationem ex iuſtitia putat, vndè etiam aſſerit non defendentem eſſe Excommunicatum; *Auila* tamen ipſe ſupra citatus eodem loco videtur ſentire nullam eſſe obligationem, licet non ſe clarè explicet, ſed ad materiam noſtram redeamus.

An Milites poſſint ire ad bellum renitentibus vxoribus.

DVBIVM TRIGESIMVM.

CErtum eſt apud DD. ex Principis mandato poſſe virum etiam inuita vxore ad bellum procedere. Ità *Sanchez de matrim. lib.* 9. *diſp.* 4. de debito coniugali, in eo enim euentu eſſet vxor irrationabiliter inuita, atque adeò vir non tenetur illi morem gerere, extra autem mandatum Principis, nihil explicitè de hoc vidi apud Doctores,

quos

quos certè non ſine labore pro hac re reuolui.

Aliqui docti viri, quos ipſe conſului putant viros non poſſe licitè ire ad bellum inuitis vxoribus, quia in hoc iam illis facerent iniuriam, & violarent contractum, in quo ſibi ad inuicem pollicentur mutuum obſequium.

Sed ego poſſe hoc facere milites etiam renitentibus vxoribus exiſtimo; Nam ſententia ferè communis eſt apud DD. etiam inuita vxore poſſe abeſſe virum, quando adeſt iuſta, & rationabilis cauſa. Iuſtam autem cauſam adeſſe tunc dicunt, quæ eſt neceſſaria ad gubernandam familiam decenter, & cum honore, ſed in caſu noſtro, ità ferè ſemper res ſe habet. Deindè ſi ſit ſubditus Principis bellum indicentis; iuſta, & rationabilis cauſa erit ſeruitium ſui Principis, & ſeruitium Reipublicæ. Hanc ſententiam videtur, quaſi ſuſtinere noſter *Molfeſius* 2. *tom. ſumm. tract.* 12. *Qui licitè poſſint militare*; his verbis, ***Septimò vxorati non prohibentur regulariter militare, quia ſi poſſunt mercaturam exercere, vt patet ex dict. tract.* 11. *cap.* 20. *num.* 9. *eo magis poſſunt militare, hoc enim magis reſpicit vtilitatem publicam, eſt benè verum, quod debent ſe abſtinere à militia præcipuè, dùm habent vxores iuuenes; vt ſimul cum vxore maritus viuat, dùm non interuenit alia iuſta cauſa, quæ iuſtificet aſſumptionem militiæ.*** Hæc *Molfeſius* eo loco vbi cum agat de eis, qui poſſunt militare; Notanda ſunt hic aliqua ad præſentem materiam vtilia, & neceſſaria.

Primò, Seruum non poſſe eſſe militem ſine voluntate Domini; Quod ſi ſeruus ignorante Domino fuerit militiam conſecutus, & intrà triginta dies non vendicauerit eum Dominus, priuatur dominio, & iure patro-

natus, & ſeruus cogitur militare. Ità Iuriſtæ.

Secundò, Filios familias poſſe militare etiam renitentibus parentibus, quidquid dicant in contrarium aliqui quos ſuppreſſo nomine citat *Molſeſius loco ſupra nu.* 174. quia in his quæ ſunt publici iuris non attenditur patria poteſtas; qui ſi moriantur in acie belli proſunt parentibus ad excuſationem onerum, & munerum ob numerum filiorum, qui pro Republica ceciderunt in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. Vndè vt aduertit optimè *Molſeſius* opinio contraria tantum verificatur, quando parentes ſunt in aliqua neceſſitate, vbi iuris naturalis, non poſitiui diſpoſitio ſit attendenda.

Tertiò, Militiæ poſſe adſcribi omnes maſculos, qui 14. annum compleuerint, & in hac ætate, & non prius ſunt habiles ad bellum ſic D. Martinus quindecim annis natus ad bellum profectus eſt. An autem Clerici, & quomodo poſſint militare videbimus dubio peculiari.

Sed redeamus ad dubium propoſitum. Quæres eſto quod viri poſſint ad bellum etiam renitentibus vxoribus procedere. Quid agendum eſſet ſi dictæ vxores vellent ad militiam comitari maritos.

Reſp. non debere maritos eas ducere, ratio eſt, quia non poſſunt in bello decenter eas detinere regulariter loquendo. Vndè ſi ſunt vxores eorum profectioni inuitæ, irrationabiliter inuitæ ſunt. Et ſicut per *Sanchez*, qui noſtrum reſponſum videtur non approbare, apparenter ſaltem; nam re vera idem, ac nos dicimus; ſuſtinere ipſum exiſtimo, ſi vir proficiſcatur ad varia negotia peragenda varia in loca, non tenetur ſecum deferre vxorem, etiam ſi ipſa velit, quia dedecet fœminas ità

pere-

peregrinari, à fortiori ſi ad bellum procedat, non tenebitur ſecum vxorem ducere, cum dedeceat fœminam, ità virum comitari.

Sed eſt contra reſponſum *cap. quod ſuper De voto*, vbi ſic habetur. *De mulieribus autem hoc credimus obſeruandum, vt quæ remanere noluerint viros ſuos ſequantur*, ex quo clarè colligitur, maritos debere vxores ſuas ad bellum ducere, ſi ipſæ ſequi eos volunt, ſicut debebant olim ad bellum terræ Sanctæ euntes ſecum vxores ducere.

Reſp. hoc eſſe peculiare priuilegium, fauore Terræ Sanctæ, & ſic docent Doctores communiter poſſe virũ, etiam vxore renitente vouere peregrinationem Terræ Sanctæ, licet ea inuita alias ſimiles longinquas peregrinationes nequeat vouere, immò nec hanc Terræ Sanctæ, niſi ſit cum fine ſubſidij. Ità *Sanchez dicta diſputat. 4. lib. 9. num.* 15. Nam *textus de voto in ſubſidium diſponit* quod cum ſit in præiuditium vxoris non eſt extendendum, non valet ergò vniuerſaliter argumentum ex hoc *cap.* deductum contra poſitam doctrinam.

Nota hic obiter; ſub Iudice, adhùc litem eſſe, an ſcilicet, idem votum in ſubſidium Terræ Sanctæ poſſit vxor facere renitente marito. Eſt pro vtraque parte Doctorum opinio, vt ſolet; aliqui affirmant hoc etiam ab vxore poſſe fieri, ſed aliquas requirunt conditiones; vt non ſit iunior, nec de incontinentia ſuſpecta, & ſit ità diues, vt gentem armatam ſecum ad bellum ducere valeat. Ità *Hoſt. in ſumm. tit. de voto, Abul. cap.* 30. *Num. quaſt.* 83. *Nauarr. ſum. cap.* 12. *num.* 62. *Gregorius Lopez l.* 3. *verb. Ni la muger*.

Alij negant; & probabilius. Ità *Sanchez loco ſupra,*

qui

qui citat, *D. Thomam*, & alios eximios Doctores. Ratio eſt quia cum maiori diſcrimine caſtitatis poſſunt fœminæ tales peregrinationes exequi; & cum minori Eccleſiæ vtilitate, deindè vxor debet regi à viro, & non è contra, vndè priuilegium viro conceſſum non debet ad vxorem extendi.

Miles pecunias militis ſocij in conflictu defuncti accepit, & ſciens adeſſe talis militis hæredes, attamen partem ipſius pecuniæ, in pauperes errogauit, dubitat an licitè hoc facere potuerit.

DVBIVM TRIGESIMVMPRIMVM.

CAſus hic frequenter poteſt accidere in militibus, qui ab inteſtato occiſi quam ſæpè decedunt, attamen apud paucos eum in terminis inuenies.

Videtur primo aſpectu hoc non potuiſſe facere talem militem, quia quæ fiunt bono fine non omnia ſunt bona, ſed debent cum bonis medijs fieri, nam bonum conſurgit ex integra cauſa, vndè furari non licet ob finem dandi eleemosynam. Ergò ſic in caſu noſtro cum pecunia illa militis defuncti ſit hæredũ non poterat ſine Dominorum conſenſu ab altero milite in pauperes erogari.

Secundò, ſi hic miles charitate mouebatur in ſocium defunctum de ſuis bonis ei ſubuenire debebat, & non de alienis qualis illa pecunia erat; his tamen non obſtantibus.

Reſp.

Reſp. & ità reſpondet bonus ſenex noſter *P. Naldus in ſuis annotationibus practicis Decret. cap. ſi quis propter* potuiſſe talem militem pecuniæ illius partem in pauperes erogare; Ratio eſt quia Deus mandauit vnicuique de proximo ſuo. Proximus autem in hoc caſu ſi de morte cogitare potuiſſet animæ ſuæ vtiliter conſuluiſſet, vtpotè fidelis; ob hanc igitur voluntatem præſumptam, poterit miles partem pecuniæ ſine conſenſu hæredum in defuncti vtilitatem erogare. Deindè conf. à ſimili, & ex alio caſu, quem communiter defendunt Doctores, *Raymundus, Rodulphus, Sylueſter, Nauarrus*, omnes citati à *Naldo loco ſupra*, vxor contra voluntatem expreſſam mariti poteſt eleemosynas facere pro eo, ſi dubitet ob ſuam feritatem, eum non ſic facturum, ergò à fortiori in caſu noſtro, cum hoc non ſit contra hęredum voluntatē.

Ad primum reſpondeo hanc eſſe abſolutè actionem bonam, nam non accipitur alienum, ſed bona ipſius defuncti, in eiuſdem vtilitatem conuertuntur.

Ad ſecundum, eſto quod potuiſſe, cum bonis proprijs ſubuenire defuncto, attamen potuit etiam cum bonis ipſius defuncti ex tacita ipſius voluntate.

Miles Sargenti ſuo dixit. Falſum dicis, quæritur an peccauerit vt inferens iniuriam dicto Sargenti.

DVBIVM TRIGESIMVMSECVNDVM.

LIcet hic caſus non tantum militaris ſit, qui ſcilicet inter milites ſemper accidat, cum etiam inter alios diuerſi inſtituti homines ſoleat euenire; attamen, & quia in milite hoc

hoc me præſente accidit, & in militibus frequentiùs ſolet accidere, quid de hoc ſentiam breuiter exponam.

Reſp. ergò nullam talibus verbis militem hunc intuliſſe Sargenti iniuriam prẹciſè per ſe ex vi horum verborum, vndè ſi animus ei defuit iniuriam inferendi; extrinſecè per talia verba non peccauit. Ità ſentiunt *Lucas de Penn. Padilla*, *Farinacius*, *Menochius*, & alij plures Iuriſperiti citati à *Criſpolto caſ. duodecimo*. Ratio eſt quia maximum diſcrimen intercedit inter hæc verba, mentiris, & falſum dicis, vt notat doctè ſatis *Publius Virgilius*, de quo meminit *Aulus Gellius lib.* 11. *Noctium Atticarum cap.* 11. nam qui mentitur ipſe non fallitur, ſed alterum fallere, & decipere conatur, & ſic iniurioſum verbum eſt dicere. Mentiris; at qui falſum dicit ipſe fallitur, nec de ſe alium decipere curat; hoc autem non eſt iniurioſum, nec prauum hominem eſſe demonſtrat, ſæpè enim ſine ſua culpa homines falluntur.

Aduerte *Criſpoltum loco ſupra* aſſerere, hæc verba falſum dicis eſſe de ſe indifferentia, quæ à ſolo proferentis affectu iniurioſa ſunt, vndè attendendus eſt animus dicentis. At tu abſolutè ne recedas à dictis. Vndè etiam ſi quis hoc dixiſſet animo iniuriandi, non per hoc iniuriam intuliſſet; ſicut ſi quis animum furandi haberet, & non aliena ſurriperet, non per hoc actu diceretur furari, peccaret quidem ob prauum illum animum iniuriandi, attamen peccatum extrinſecè, etiam proferens talia verba non compleret.

An Miles

An Miles honoratus poſſit interficere eum, qui ſibi dicit mentiris.

DVBIVM TRIGESIMVMTERTIVM.

NOLO in hac re diſcedere ab opinione præceptoris mei *Paſqualigi in varijs ſuis deciſ. deciſ.* 442. quæ meo iudicio doctè, & validè firmatur.

Negat ergò dictus *Paſqualigus* poſſe militem ob hoc licitè interficere alium, & citat alios Doctores hoc ſuſtinentes *Azoriũ par. 3. lib. 2. cap. 1. quæſt. 17. & Dianam*, qui tamen tribus verbis ſe expedit, vndè vix dat locum Lectoribus colligendi quid in hac re ipſe ſentiat. Ratio negationis eſt, quia per id, quod occidit, aut vulnerat, vlciſcitur quidem iniuriam acceptam, ſed non repellit, quia non impedit, quin inferatur, ſicuti qui infert iniurias ſe verberanti, non facit, quin verberetur, nec conſeruat ſuum honorem, ſi occidat, quia per tale homicidium non oſtendit ſe non mentiri, & ſic adhùc remanet iniuriatus; Cum ergò nec homicidium, nec vulneratio ſint medium aptum ad repellendam iniuriam, nec erunt quid licitum; Ità *Paſqualigus*, qui docet quoque modum, quem ſeruare debet talis, vt iuſtè, & honoratè propulſet iniuriam ſic dicens. *Atque ſi cæteræ iniuriæ verbales propulſantur per hæc verba non dicis verum mentiris ſufficienter etiam propulſabitur huiuſmodi iniuria mentiris, Si reſpondeatur aliquod, quo oſtendatur, quod ipſe falsò inferat talem iniuriam v.g. ſi dicatur, quod ebrius ſit, quod ſtultus ſit, quod ipſe verum non dicat*, & confirm. hoc cum

ipſis duelli legibus, in quibus habetur hanc iniuriam, mentiris, retundi obiectis maioribus delictis.

Contrarium tamen docet, neſcio qua ratione tamen. *Strouerſdorf de iuſtitia, & iure quaſt.* 64. *art.* 7. *concluſ.* 5. quem etiam *Diana* citat.

An Milites prouocati ad duellum poſſint illud ſine peccato acceptare.

DVBIVM TRIGESIMVMQVARTVM.

HIC ego tantum referam verba *Laiman*, nam ex eis adequatè dubij patebit ſolutio, verba ergò ſunt hæc.

Quæſtio eſt vtrum prouocatus ad ſingularem pugnam, ſeù duellum acceptare poſſis ne ignauia, aut timiditatis notam apud alios incurras, aliqui affirmant apud Bañes quaſt. 64. *art.* 7. *dub.* 3. *Quia ſicut ab hoſte fugere, itá etiam prouocanti ſe non ſiſtere timiditatis, & ignauiæ nota eſt, quam aliquis à ſe remouere poterit.*

Sed contraria ſententia eſt communis Bañes cit. dub. 3. *Sotus, Petrus Nauarra, Rodriquez, Molina, Leſſius, Sanchez, Beccanus, ordinariè non eſſe licitum prouocatum ad duellum id acceptare, quia nemo prudentum vitio tibi vertet, quod legem Dei obſerues, hominiſque occidendi periculum abſque iuſta neceſſitatis cauſa non adeas. Imprudentum autem, & vanorum hominum iudicia in re adeò graui attendenda non ſunt, nam multi etiam ex vulgò imprudenter iudicant, decorum eſſe de accepta iniuria vindictam ſumere propria auctoritate, non ideò tamen id licitum efficitur, neque ſimile eſt de fuga,*

ea

ea enim homini nobili ignominioſa eſtimatur; at verò ad duellum prouocatus aliud medium eligere poteſt, videlicet, vt neque fugiat, neque congrediatur, ſed dicat paratus ſum me defendere, quandocumque me aggreſſus fueris; ex condicto autem duellum acceptare non poſſum; cum id Diuinæ legi, & iuſto etiam Magiſtratus præcepto aduertetur, deindè ſubdit.

Dixi ordinariè, nam ſi in rariſſimo caſu eo loco res ſita ſit vt miles in exercitu, vir equeſtris in Aula Regia officio dignitate Ducis, aut Principis fauore ob ignauiæ ſuſpicionem excidere debeat, niſi identidem prouocanti ſe ſiſtat, non audeo damnare eum, qui mera defenſionis gratia paruerit. Hęc omnia doctiſſimus *Layman*, quæ tamen ſententia non placet *Dianæ* motus vt dicit ipſe à rationibus, quas adducit *Reginaldus tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 7. Vide dictum *Reginaldum* ſi melius rem conſiderare cupis, hic enim nos pro Confeſſoribus militum Enchiridion parare ſtudemus.

An Milites honorati poſt alapam ſibi impactam, vel fuſtem fugientem poſſint inſequi, & occidere.

DVBIVM TRIGESIMVMQVINTVM.

PEccare hos milites, & alios etiam; quamplures Doctores docent *Ioannes de la Cruz, Toletus, Rodriquez, Turrianus, Sotus, Bañes, Salonius,* & alij quos congerit *Diana tract.* 15. *Miſcell. reſol.* 15. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia hoc habet magis ſpeciem vindictæ, quam defenſionis. Deindè ſtatim ac ille, qui impegit alapam fugit ceſſat iniuriam facere, & ſic iam non vi vis repellitur,

Contrariam ſententiam videre potes apud *Nauarram de reſtitutione lib. 2. cap. 3. num. 383. apud Henriquez, Cordubam, Martinum Pegram*, & alios multos, quos refert *Diana loco ſupra*, & ratio eſt, quia affectus illa iniuria magnam honoris iacturam faceret, ſi fugientem perſequi non poſſet. Deindè à ſimili nam perſequi poſſum furem, & ab eo etiam cum morte ipſius rapta recuperare, ſi alia via non poſſim; Ergò ſic etiam in caſu noſtro.

Neque dicas eſſe diſparem rationem, nam rapta adhùc extant, & ſunt recuperabilia, non ſic autem honor, nam etiam honor recuperabilis eſt, & cum ſit quædam res in eſtimatione hominum ſita, taliſque eſtimatio putet ſic honorem recuperari fugientem poſſum inſequi, vulnerare, occidere.

Nec valent fundamenta contrarię ſententiæ, quia licet hoc habeat ſpeciem vindictæ, vindicta tamen non eſt, nec apud prudẽtes viros talis debet eſtimari; ſed pura defenſio.

Nec ſecunda etiam ratio vim habet, nam licet ceſſet fugiens iniuriam facere Phyſicé, adhùc moraliter perſeuerat iniuria, quam vi repellere poſſum.

Centurio apud ſuũ Ducem ſuaſione, & preeibus obtinuit, quod relicto milite digniori aliũ dignum ad certã dignitatem eleuaret. Dub. an dictus Centurio teneatur ad reſtitutionẽ dignieri.

DVBIVM TRIGESIMVMSEXTVM.

NON tantum apud milites caſus hic accidere poteſt, ſed communis apud omnia perſonarum genera eſt, vndè breuiter eius ſolutionem adducamus.

Reſpondeo

Reſpondeo ergò varia eſſe Doctorum in hac re placita *Villalobos* Doctor eximius, qui Hiſpanicè ſummam ſcripſit defendit mordicus talem obligandum eſſe ad reſtitutionem digniori damni ei indè ſecuti. Fundamentum eſt quia damnificauit digniorem, cui debebatur illa dignitas. Ità etiam ſuſtinent ex neotericis *Vaſquez de beneficijs, Bonacina de contractibus diſp. 1. quæſt. 2. punct.* 12.

Sed contraria ſententia magis placet, & video etiam ipſam magis communiter placere Doctoribus. Ità *Leſſius, Nauarra, Valentia, Syluius, Filiutius,* quos congerit, & ſequitur *Diana tract. 6. Miſcell. reſol.* 34. Ratio eſt, quia, qui confert dignitatem digno, relicto digniori, nullam infert digniori iniuriam. Vndè nec ſuadens ad hoc facit ei iniuriam, & ſic non peccat peccato iniuſtitiæ, ſed hic aliqua ſunt explicanda, quæ vtilia valdè ſunt.

Quæres quid ſi fraude, aut dolo apud Ducem impetrauit ne illa dignitas concoderetur digniori, puta; dicens talem eſſe indignum; tale delictum commiſiſſe, verba aliqua contra Ducem dixiſſe, quæ omnia falſa ſunt tenetur ne tunc ad reſtitutionem.

Reſp. teneri eſt communis Doctorum ſententia, à qua nec vnum vidi diſcedere, licet verè aliquas patiatur difficultates, quas, fauente Deo, ſpero me de alia materia agentem adducturum; tenetur tamen ad reſtitutionem ſolum; tanti, quanti ſpes conſequendi illam dignitatem digniori valebat, quod remittendum eſt iudicio prudentis viri. Ratio eſt quia violatur ius ipſius iniuſtè, quod ad illam dignitatem habebat. Vide *Leſſium lib. 2. cap.* 12. *dub.* 18.

Quæres ſecundò, quid ſi ille Centurio pandat crimen occultum,

occultum, ob quod Dux mutauit animum dandi digniori illam dignitatem; quod tamen crimen verè fuit commiſſum, tenebiturne ad reſtitutionem.

Reſpondet cum diſtinctione idem *Leſſius*, vel ità pandit crimen, vt ſequatur infamia apud multos, vel, apud ſolum Ducem; ſi primo modo tenetur ad reſtitutionem, ſi illa infamia moneat ſolum Ducem ad non conferendam digniori dignitatem; Si ſecundo modo non tenetur, quia ius habet patefacere ea, quæ minus habilem hominem ad dignitatem reddunt, dùm agitur de officijs, & beneficijs conferendis.

Quæres tertiò, quid ſi hic Centurio, qui falsò Ducem informauit, reuocet ſua dicta; tenebiturne ad reſtitutionem.

Reſpondeo ſi res ſit integra adhùc non teneri ad reſtitutionem, quia quando res eſt integra; infamator nõ cenſetur intuliſſe damnum, ſed liberam voluntatem collatoris, quæ poterat poſt reuocationem ad priorem ſtatum reduci.

Quæres quartò, quid indignus erat, cui Dux conferre dignitatem volebat, teneturne tunc fraude, vel vi impediens ne talis indignus dignitatem conſequatur ad reſtitutionem?

Reſp. non teneri. Ratio eſt, quia nullum ius ad illam dignitatem habet indignus, nec in libera collatoris voluntate hoc erat poſitum, non enim indigno conferre valebat, nec tenetur regulariter ad reſtitutionem famę, nam potuit ratione mali impediendi eius crimen detegere: maximè cum malum publicum eſſet.

Quæres quintò, quid ſi ille Centurio impediuit ne dignus

dignus conſequeretur dignitatem, vt dignior eam conſequeretur teneturne ad reſtitutionem digno.

Reſp. adeſſe pro vtraque parte opinionem, vt teſtatur *Leſſius loco ſupra*. Vide ipſum hęc enim omnia communia ſunt, & maiori indigent diſcuſſione; ſufficiat tamen tibi hic, ſcire quid poſſis tuta conſcientia facere.

An Duces qui multa in bello iniuſtè rapiunt teneantur, dùm confitentur dicere ſe eſſe Duces.

DVBIVM TRIGESIMVMSEPTIMVM.

NON deſunt Doctores, & magni nominis, qui hanc circumſtantiam in confeſſione explicandam aſſerunt. Ità *Vaſquez*, *Medina Complutenſis*, *&* *Salmaticenſis*, quos citat *Diana tract. de circumſtantijs aggrauantibus reſol.* 36.

Sed negatiuè Reſpondent ipſe *Diana loco citato Henriquez lib.* 2. *cap.* 6. *& num.* 3. *& nouiſſimè Ioannes de Lugo de pœnitentia diſp.* 16. *ſec.* 4. Ratio eſt, quia dato etiam, quod circumſtantiæ aggrauantes eſſent in Confeſſione explicandæ hæc non multum aggrauat, & ſic non debet explicari.

Dices hæc circumſtantia officij addit ſpeciem nouã, quæ eſt contra iuſtitiam, non ſolum commutatiuam; ſed etiam diſtributiuam, quæ obligat Ducem ad impedienda furta propter bonum publicum; ergò eſt explicanda in confeſſione.

Reſp. Ducem non teneri, ex iuſtitia ad impedienda furta

furta propria, ſicut tenetur ad impedienda aliena, vndè non mutat tale peccatum ſpeciem; Sic Fiſcalis debet ex munere ſuo denuntiare contra bonum publicum delicta aliena, non tamen propria; Cuſtos vineæ debet manifeſtare fures; non tamen ſe ipſum, vndè peccatum non mutat ſpeciem, & ſic nec debet explicari.

An Milites qui in bello iniuſto pugnant ſi aggrediantur, dùm fugiunt à militibus contrariæ partis ipſos inſequentibus, poſſint eos interficere.

DVBIVM TRIGESIMVMOCTAVVM.

LIcet dubium propoſitum, rarò accidat in bellis, quia tamen alibi poteſt frequentiùs accidere. Attende quomodo illud ſoluant Doctores.

Molina diſp. 15. *tract.* 3. maximi hanc difficultatem facit, vndè eam non audet reſoluere, ſed anceps remanet; habe eius verba. *Longè maius dubium mihi eſt quando aliquis videns bellum iniuſtum ex ſua parte, & iuſtum ex parte contraria, ad illud proceſſit; num licet peccauerit ad id bellum procedendo, in eoque pugnando teneaturque à pugna, atque à bello deſiſtere, fas nihilominus illi ſit dùm terga vertit, ipſumque inſequitur miles, à cuius parte iuſtum eſt bellum, interficere talem militem ſe inſequentem in ſui defenſionem, quando aliter euadere non poteſt, atque in partem negantem; eſt hoc argumentum. Quod cum ille alius miles ius habeat ad illud interficiendum, non ſecus, ac Miniſtri publici ius habeant ad malefactores interficiendos, ſanè quemadmodum male-*

maleſactores non poſſunt in ſui defenſionem occidere Miniſtros publicos. Sic miles terga vertens, de quo loquimur interficere in ſui defenſionem non poteſt militem ſe inſequentem ex altera verò parte videtur durum admittere miſerum talem militem teneri pati mortem. Hæc *Molina.*

Sed hoc non obſtante magis in hac re ego audeo, nam Reſpondeo tales milites ſine peccato benè poſſe militis alijs inſequentibus mortem dare; & reſponſum firmo ſic: ſatis probabilis opinio eſt, immò modo quaſi communis, damnatum iuſtè poſſe fugere, & ſic mortẽ euitare. Ità *D. Thom, Caietanus, Syluest. verb. fugere Iacobus de Graffi js de reis in carcere detentis cap. 7. lib. 3. Aurearum deciſ.* & alij neoterici innumeri, ergò cum habeat ius fugiendi ad defendendum, hoc forſitan benè poſſet inſequentem, & impedientem occidere, nec hoc eſt verè reſiſtere quod illicitum eſt per omnes, ſed tantum ſuam fugam ſeruare, quod ſi reſiſtentia aliqua interueniat per accidens, & indirectè eſt volita; ergò ſic applicando in caſu noſtro; ſed nolo hac ratione vti ad firmandum reſponſum, nam multas patitur difficultates & ex ea habetur doctrina, quæ ad hoc, vt ſubſiſtat cum ſit contra communem ſententiam DD. maiori indiget diſcuſſione.

Probo igitur dictum deſtruendo fundamentum *Molinæ*, quod ſcilicet miles inſequens, vtpotè iuſtè pugnans poſſit tamquam Miniſter publicus iniuſtè pugnantem, & fugientem occidere, nam licet poſſit hoc facere, non tamen, tamquam Miniſter publicus, hæc enim duo diuerſa ſunt, nec ex eo, quod, quis poſſit alium iuſtè occidere colligi debet, quod tamquam Miniſter publicus

hoc faciat, ſic quis ad defenſionem interficiunt iuſtè interficiunt, nec aliquis dicet, quod tamquam Miniſtri publici hoc faciant; ad hoc enim fortè requiritur, & cauſam eſſe cognitam, & ſententiam latam. Vndè in ſententia magis probabili, quam defendunt *Pontius dè Matrimonio*, & alij quadraginta octo Doctores, quos citat, & ſequitur *Barboſa*. Maritus licet impunè per iura occidat vxorem in adulterio deprehenſam, attamen nō facit hoc tamquam Miniſter publicus quidquid dicant *Caſtillo, Taurinus, Antonius Gomez, Menchacha, Azeuedo*, & alij quos congerit *Diana tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 223. & hoc non alia ratione, niſi quia cauſa nondum eſt cognita, nec ſententia lata; Sic ergò in caſu noſtro concedo militem iniuſtè pugnantem, & fugientem occidi iuſtè à milite iuſtè pugnante; nego tamen hoc ab ipſo fieri, tamquam à Miniſtro publico, quod debet probare, ipſe *Molina*.

An Milites præſidiarij, qui in eis præſidijs degunt, in quibus cum hoſte frequenter fit conflictus poſſint abſolui ab omnibus peccatis reſeruatis.

DVBIVM TRIGESIMVMNONVM.

QVæſitum hoc benè expendant Confeſſarij militum, nam eis admodum vtilis erit eius ſolutio. Et equidem ipſe miratus ſum valdè (cum prętérita Quadrageſima Trini degerē inuitatus, & humaniſſimè exceptus ab amiciſſimo Domino D. Gregorio Britto, vt Confeſſiones militum exciperem;)

ciperem;) nulli dicti Oppidi Confeſſario dubium hoc in mentem veniſse, an milites illius præſidij poſſent, à quibuſcumque caſibus reſeruatis abſolui, vtpotè qui ferè quotidiè cum hoſte congrederentur; Vndè pro abſolutione duelli, pro abſoluendis alijs criminibus Epiſcopo reſeruatis, ab Ordinario facultatem quærebant, & expectabant.

Reſp. ergò, non obſtante hac praxi in contrarium, omnes milites præſidiarios, qui frequenter ob vicinitatem cum hoſtibus pugnant poſſe abſolui ab omnibus reſeruatis; prob. clariſſimè. Iſti ſunt verè in periculo mortis conſtituti ergò &c. Quod autem ſint, & debeant eſtimari exiſtere in periculo mortis multis exemplis confirmatur, quæ vel debent negari, vel ſi admittantur etiã noſtra concluſio debet admitti. Remigantes in nauigatione etiam ſi nulla ſit tempeſtas, quia poteſt aduenire, ſunt in periculo mortis, & conſequenter poſsunt abſolui; vt tenent *Hurtadus de Mendoza, Emanuel Sà, Sanchez, Suarez*, quidquid dicat in contrarium *Aegidius Trulench in Bull. Cruciat.* relatus à noſtro *Diana tract.* 3. *de caſibus occurrentibus tempore mortis, reſol* 62. Banniti, qui impunè vbique poſsunt occidi ſunt in periculo mortis, & conſequenter poſsunt abſolui à reſeruatis, vt ſuſtinent *Naldus in ſumm. verb. abſolutio. Floronus de caſib. reſeru. par. p. cap.* 4. *Para* 8. *num.* 9. *Bellochius in praxi Theolog. mor. par. p. quæſt.* 2. *num.* 133. Mulieres prægnantes pariture ſunt in periculo mortis, & poſsunt abſolui ab omnibus reſeruatis, vt docent *Hurtadus de Mendoza de fide diſp.* 84. *ſec.* 8. quidquid dicat in contrarium *Diana reſol.* 83. *de caſibus occurrentibus tempore mortis*. Et hæc omnia genera

perſonarum dicuntur, & æſtimantur eſſe in periculo mortis, quia ex eis frequenter pereunt; Sed hoc militat in caſu noſtro. Immò validiùs, vt patet conſideranti, nam non tàm frequenter ex remigantibus, ex bannitis, ex mulieribus prægnantibus moriuntur, vt ex his militibus occiduntur, ergò. Audeant igitur Confeſſarij, nam pius, & iuſtus auſus erit; hos milites in talibus præſidijs degentes ab omnibus reſeruatis abſoluere; ſed expendant benè, an hæc circumſtantia frequentis cum hoſte congreſſus verè reperiatur. Hinc aliud oritur dubium.

An iſti milites præſidiarij in periculo vitæ conſtituti teneantur ſub peccato confiteri.

DVBIVM QVADRAGESIMVM.

PRæceptum Confeſſionis obligare fideles non tantum iure Eccleſiaſtico, ſed etiam iure Diuino eſt commune apud Doctores. Ità videre potes apud *Suarez diſp.* 35. *ſec.* 2. *& Vaſquez quæſt.* 90. *art.* 2. & nouiſſimè apud acutum Doctorem *Ioannem de Lugo de Sacramento Pœnitentiæ diſp.* 15. *ſec.* 3.

Dubitant tamen Doctores, quo tempore obliget hoc præceptum Diuinum Confeſſionis; Aliqui enim dicunt obligare ſtatim poſt peccatum mortale. Ità *Guillelmus, Angelus, Alenſis, Rainerius*, quos citat *Suarez loco ſupra ſec.* 3. Sed hæc opinio, & merito à pluribus alijs refellitur. Vide *de Lugo* citatum. Sunt etiam hinc indè in hac re variæ ſententiæ; conueniunt tamen omnes hoc præ-

ceptum

ceptum Diuinum obligare in articulo mortis, vndè in ſententia eorum, qui articulum mortis, à periculo mortis non diſtinguunt, clarum eſt hoc præceptum obligare etiam in periculo mortis. In hac tamen re quid ego ſentiam breuiter exponam.

Et ſuppono in primis articulum mortis, & periculum mortis eſſe idem inter ſe, & non eſſe idem, eſſe idem, & pro eodem accipi in hoc, quod tàm in periculo mortis conſtitutus, quàm in articulo poſſit ab omnibus reſeruatis abſolui à ſimplici Sacerdote, patet hoc ex ipſo iure, & præcipuè ex *cap. Eos qui de ſententia Excommunic. 6.* vbi ille qui vocatus fuerat articulus mortis ſtatim vocatur periculum, & etiam ratione, quia motiuum Eccleſiæ, vt inquit *Ioannes de Lugo* ad dandam illam facultatem fuit, ne occaſione reſeruationis, & defectu habentis iuriſdictionem aliquis periret, hoc autem periculũ non euitaretur ſi expectandum eſſet ad ſtrictum mortis articulum, quando iam mors proxima eſt, & vita deſperata; frequenter enim eueniret, vt iam tunc non eſſet commoditas Confeſſionis faciendæ, vndè etiam hoc priuilegium ſiuè ſit de iure humano, ſiuè Diuino, de quo eſt controuerſia inter Doctores conceditur, & pœnitenti, & Confeſſario, & quo ad hoc idem ſunt periculum mortis, & articulus mortis. Si autem conſideremus obligationem, quæ in his verſantibus imponitur à iure Diuino faciendi Confeſſionem cum ſimus in re non fauorabili, ſed potiùs, vt potè præcepta odioſa.

Ego hæc duo diſtinguerem articulum mortis, & periculum mortis, & dicerem preceptum Diuinum Confeſſionis obligare exiſtentes in articulo, non autem in periculo.

Nec

Nec putes hoc ſine fundamento dictum; Nam idcircò ius Diuinum per omnes obligat ad Confeſſionem in articulo mortis, quia ſi tunc non fiat Confeſſio exponit ſe Homo periculo claro non obſeruandi tale prçceptũ, vndè ob hanc rationem in ſententia multorum ille qui nunc habet copiã Confeſſarij, quàm poſteà per totã vitam non habebit tenetur nunc confiteri, licet contrarium aliqui ſentiant, quorum ſententiam dicit probabilem *Ioannes de la Cruz in direct. par. 2. de pœnit. quæſt. 3. dub. 3.* Idem etiam dicunt aliqui de eo, qui habens peccata reſeruata habet nunc à quo poſſit abſolui, poſteà non habiturus, tenetur enim iſte nunc confiteri; Sed qui eſt in periculo mortis, addò ipſe, prout periculum diſtinguitur vt dixi ab articulo, nec dicit mortem adeò vicinam, nec vitam deſperatam. Vndè ſi non confiteatur non ſe exponit periculo, non obſeruandi hoc præceptum, cum adhùc poſſit, & ordinariè debeat peruenire ad ſtatum articuli mortis, in quo poterit confiteri. Ergò ius Diuinum non obligat conſtitutum in periculo mortis ad Confeſſionem ſicuti obligat conſtitutum in articulo; hæc eſt mea opinio, quàm tamen vtpotè à communi alienam prudentum Iudicio libenter remitto.

An Mi-

Digitized by Google

An Milites ob vulnera in conflictu accepta in articulo mortis conſtituti, poſſint, & debeant militibus proximis confiteri.

DVBIVM QVADRAGESIMVMPRIMVM.

RIdiculum eſt id, de quo aliquos milites ſæpè me interrogantes audiui; an Confeſſio illa facta Laico ſit vera, & Sacramentalis Confeſſio. Et miror, nec ſcio qua via hęc ignorantia in multos irrepſerit, nam, & nobiles viros hoc audiui quęrentes. Certum enim, & indubitatum eſt, Miniſtrum huius Sacramenti ſolum Sacerdotem eſſe, vndè id quod inquirimus in hoc dubio eſt; An hæc Confeſſio externa ideſt explicatio peccatorum facta Laico in articulo mortis ſit licita, & an ſit neceſſaria hic referam Doctorum placita *Ioannes de Lugo de Sacramento pænitentia diſp.* 18. *ſec. p. num.* 4. formidare videtur ponam eius verba, vt benè etiam ſenſus huius Doctoris percipiatur, *& quidem Theologi recentiores aduertunt rariſſimè eſſe eam conſulendam, & nunquam fore ponendam ex obligatione. Aliqui volunt Confeſſionem illam factam Laico, prodeſſe ſaltem ad remiſſionem venialium ex opere operato, non vt Sacramentum, ſed vt aliquod Sacramentale, ſicut prodeſt Aqua Benedicta. Ità Victoria de Confeſſione num.* 142. *& alij; ſic enim, & Sacerdos in Miſſa confitetur Miniſtro Laico, & abſoluitur ab illo deprecatoriè, & Moniales in Choro, dùm recitant Officium confitentur, & abſoluuntur ab inuicem, hoc tamen ſi verum eſſet non requireret Confeſſionem ſpecialem, nec integram de peccatis, ſed ſufficeret Confeſſio generalis.* Ità *de Lugo*, ex quibus inutiem ipſe talem Confeſſionem exiſti-

exiſtimare colligitur.

Gamachaus tamen *in ſumm. Theol. tom.* 3. *de Sacram. pœnit. cap.* 16. relatus à *Diana tract.* 3. *de caſibus occurrentibus &c. reſol.* 73. contrarium in aliquo caſu ſuſtinet. Verba quoque eius hic ponam. *Immò concedimus peccatorem, non ſolum poſſe, ſed aliquando debere confiteri Laicô in articulo mortis, quando non poteſt vllum inuenire Sacerdotem, & tamen ex hypoteſi iudicat ſe conſilio indigere ad ſalutem ſuam, nec aliud occurrit conſilium, quàm Laici viri prudentis, & probati, vel quia fortaſsè quæſtio eſt de rebus ad lites, ad reſtitutionem aliquam pertinentibus, vel agitur de admonenda tertia perſona, vt furtum reſtituat, reſipiſcat, ſibi caueat, veniam concedat, hæc enim omnia poſſunt fieri conſilio, & miniſterio Laicorum.* Hæc *Gamàchæus*, cui *Diana* multos addit Doctores idem ſuſtinentes.

Ipſe verò *Diana loco ſupra* ait, *& ego apertè reprobo cum Marchino de peſte par.* 3. *cap.* 11. *Vndè cum Fagundez ineptam prorſus puto Confeſſionem illam, quam quidem nautæ in tempeſtatibus, & periculis extremis deficiente Sacerdote efficiunt alij alijs peccata ſua confitentes, cum neque valida ſit, neque ad capiendum conſilium neceſſaria, & ideò hic abuſus omninò eſt euellendus, & eis conſulendum, vt in eo periculo de ſalute curent per veram contritionem.* Habes varias ſententias. Tu quæ magis placet elige, omnes enim probabiles putò, nec inclino magis in vnam, quàm in aliam partem.

An

An Milites in conflictu ipſo poſſint abſolui à Confeſſario, ſi aliqua tantum peccata dicant.

DVBIVM QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

ADuertant, & ſciant Confeſſarij militum caſus huius ſolutionem, nam frequentiſſimè accidit talis caſus.

Nauarrus ergò de pœnit. & remiſ. lib. 5. conſ. 13. negatiuè reſpondet. Fundamenta eius, & rationes omitto breuitatis gratia, &

Reſpondeo, poſſe in ſupradicto caſu, & ſic confiteri milites, & ſic etiam à Confeſſarijs abſolui. Ità docent *Suarez, Ioannes de la Cruz, Conincb, Villalobos,* qui Hyſpanicè *in ſua ſumma* ſic habet. *El Confeſſor que Confieſſa los que eſtan en tormento, baſta que oiga dos, o quatro pecados acada vno, y aſſi los abſuelua; la razon es porque puede vno callar el pecado por el daño temporal, que ſe ſigue à otro; luego mejor podrà por el peligro eſpiritual de los otros, que ſi no es aſſi no ſe pueden Confeſſar.* Ità *Villalobos,* vide *Dianam tract.* 16. *Miſcell. reſol.* 43. qui inſuper cum *Vazquez,* notat ad hoc teneri Confeſſarium ex charitate, vt habeat tempus ſubueniendi alijs.

Nec te perturbet Confeſſionem debere eſſe integrã, nam aliquando ſufficit, quod ſit integra formaliter, vt dicunt, licet non ſit integra materialiter.

Et nota etiam, hoc valere in peſte, in tempeſtate, & in alijs ſimilibus caſibus ob ſimilem rationem. Et aduertat etiam Confeſſarius, quod ſi imminens periculum in hoc caſu aliud non permitteret, poſſent plures

L ſimul

ſimul milites aliqua doloris ſigna oſtendentes, & aliqua peccata dicentes abſolui. Hoc videas ſi non quieſcis apud *Coninch. de Sacram. diſp.* 7. *dub.* 9. *num.* 74.

Sed quæres hic; an dùm milites nullum dederunt, nec dant ſignum doloris, dùm ſunt vulnerati poſſint abſolui ſub conditione.

Reſp. dubium commune in omnibus eſſe, licet ſæpiſſimè in militibus accidat, *Ioannes de Lugo de Sacram. pœnit.* refert in Belgio conſuetudinem eſſe, milites vulneratos, etiam ſine ſignis externis doloris abſoluendi, ſed ipſe docet hoc fieri non poſſe. Ego in re tanti momenti, hìc vbi breuitati ſtudeo ſummoperè, nihil audeo decidere.

Miles in campo lethale vulnus accepit, ità tamen vt ei deficiat tempus, vel vt poſſit mederi, vel vt confiteri. Dubitat. quid facere debeat Confeſſarius.

DVBIVM QVADRAGESIMVMTERTIVM.

DIana *tract.* 3. *de caſibus occurrentibus tempore mortis reſol.* 56. caſum hunc vniuerſaliter ponit, ſed quia frequentiùs in militia accidere ſolet, eius ſolutionem hic affero pro militum Confeſſoribus, & refero Doctorum ſententias.

Diana ipſe ſic ait. *Ego quidquid in contrarium afferat Poſſeuinus in officio Curati cap.* 7. *num.* 80. *vnum ſaltem peccatum ſecreto audirem, & ſtatim illum abſoluerem, vt Medici poſteà vulnerato mederentur, & poſtquā medicamenta applicata fuiſſent integram Confeſſionem audirem, & illum*

denuò abſoluerem, hoc aſſerit ſe facturum in caſu poſito *Diana*. Alij quos ipſe *Diana* citat docent ſufficere ſi altâ voce vulneratus dicat ſe peccatorem eſſe, & tunc poſſe Confeſſariū ipſum abſoluere. Ità *Sancius in ſelectis diſp.* 44.

Mancinus in pract. viſitandi infirmos pract. 4. *dub.* 16. aliam in hoc caſu praxim adducit, vt ſcilicet Confeſſor admoneat, circumſtantes claudere aures; oculoſque à facie pænitentis auertere, & ſic interroget vulneratum, & audiat monendo adſtantes teneri ſub peccato mortali ſecretum ſeruare, ſi quid obiter audierint.

Miles natione Germanus ſubito ad mortem damnatus, cum nullus eſſet Sacerdos, qui Germanam linguam calleret, mihi per Interpretem voluit confiteri dubitatum fuit, an ſic teneretur confiteri.

DVBIVM QVADRAGESIMVMQVARTVM.

IOannes de Lugo huic dubitationi egregiè ſatisfacit *diſp.* 15. *ſec.* 5. *per totam de pænit.* & licet *Diana* congerens in hac re multos Doctores, nullam eſſe obligationē ſic Confeſſionem faciendi ſuſtineat, nec ex præcepto Eccleſiaſtico, nec ex Diuino *tom.* 2. *tract.* 4. *reſol.* 129. attamen dictus *de Lugo*.

Contrariam defendit ſententiam licet propter auctoritatem tot Doctorum dicat etiam aliam probabiliſſimam.

Diſtinguens tamen procedit, & dicit nullam eſſe obligationem ex præcepto Eccleſiaſtico, benè verò ex præcepto Diuino, qua diſtinctione etiam vtuntur, vt ipſe teſtatur *Syluester*, & *Cano*, alijque apud *Suarez*.

Quod autem non ſit obligatio aliqua ex præcepto Eccleſiaſtico Confeſsionem taliter faciendi colligitur, clarè ex *cap. omnis vtriuſque ſexus de pænit., & remiſſione* vbi præceptum Confeſsionis annuæ imponitur his verbis. *Teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti*, illam particulam, ſolus, expende, quam multi graues Doctores non expendunt.

Quod autem ſit obligatio ex iure Diuino Confeſſionẽ ſic faciendi, prob. & ratione, & etiam eneruando fundamentum, & *Achillem* aduerſariorum. Ratio eſt quia in articulo mortis conſtitutus non poteſt habere certitudinem de ſua contritione. Ergò poteſt de illa trepidare ergò non excuſabitur à Confeſſione per Interpretem facienda. Vndè, & ipſi aduerſarij fatentur, quod quando Homo non eſt ſecurus de contritione, qua extra Sacramentum iuſtificatur; ex charitate erga ſe tenetur facere per Interpretem Confeſſionem; Sed numquam ſecurus eſt ergò numquam excuſabitur.

Deindè etiam ruit fundamentum contrariæ partis, nec vim habet; quod tale ſcilicet præceptum Diuinum de Confeſſione facienda non obligat cum graui detrimento extrinſeco; ſed graue detrimentũ extrinſecum eſt, Confeſſionem fieri per Interpretem; Ergò non obligat ad hoc præceptum Diuinum; Reſpondetur enim hoc non eſſe graue detrimentum, quo poſſit excuſari à Confeſſione tali modo facienda; Nam, & Interpres ipſe manet obligatus ſecreto. Deindè ſi eſſet detrimentum eo maximè, quia peccata non ſolum vni, ſed duobus deberent reuelari, & manifeſtari; ſed hoc non eſt detrimentum, quod excuſet à tali Confeſſione; Ergò; prob. Minor à

pari,

pari, dùm quis habet peccata reſeruata debet explicare duobus (regulariter loquendo) hęc peccata; & Superiori, & inferiori; & tamen non per hoc exoneratur à pręcepto Confeſſionis, ergò ſic in caſu noſtro.

Sed inſtabis, & dices; ſi in articulo mortis præceptum Diuinum obligat ad hanc Confeſſionem faciendam, per Interpretem, etiam in alijs caſibus obligabit, & ſic dùm quis vult accedere ad Euchariſtiam; ſi nullus Sacerdos eius linguam calleat debebit per Interpretem confiteri ſicuti ſi habeat reſeruata duobus tenetur confiteri.

Negat dictus *de Lugo* in hoc caſu præceptum Diuinum obligare ad Confeſſionem ſic faciendam; & dat diſparitatem quandam inter vtrumque caſum, ſcilicet inter eum, qui habet peccata reſeruata, & vult accedere ad Euchariſtiam, & inter illum, qui cum ex defectu Idiomatis non intelligatur à Sacerdote vult tamen accedere ad Sacramentum, ſed cum non mihi placeat diſparitas ob rationem, quam breuitatis cauſa omitto.

Reſpondeo, etiam in tali caſu adeſſe talem obligationem confitendi per Interpretem ex præcepto Diuino cum per dictum *de Lugo* confiteri per Interpretem non ſit graue detrimentum, & per ipſum etiam ſuperiùs *diſp. eadem ſec.* 3. Pręceptum Diuinum Confeſsionis obliget in alijs caſibus, ſic quando adeſt nunc copia Confeſſarij, quàm poſteà quis non eſt habiturus per totam vitam tenetur tunc ille confiteri. Sic; quis habet peccata reſeruata, adeſt nunc Confeſſarius habens auctoritatem, qui poſteà amplius non erit, tenetur tunc ille confiteri. Ergò ſi in his caſibus obligat conſequenter etiam per

Inter-

Interpretem debebit obligare, & ſic etiam obligat hoc præceptum in caſu poſito, dato quod quis velit accedere ad Euchariſtiam, vndé diſplicet reſponſum dicti Doctoris, non tamen doctrina, quo ad ſubſtantiam dubij poſiti; & ſic me libentiſsimè ei ſubſcribo.

An Milites peccent ſi accedunt ad Sacramenta Pænitentiæ, & Euchariſtiæ enſe armati.

DVBIVM QVADRAGESIMVMQVINTVM.

SÆpè dùm militum Confeſsiones exciperem multi ad me enſe accincti accedebant; & imperanti eis, enſem deponerent; Reſpondebant eſt ne peccatum, ò Pater cum enſe accedere ad hoc Sacramentum. Vndè

Reſpondi iuxtà id, quod docet *Ioannes Sancius in ſelectis diſp.* 45. nullo pacto tali modo ad hoc Sacramentum accedentes peccare, & ſine controuerſia eſt, milites S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & ſimiles non peccare ſi enſe accincti ad hæc Sacramenta accedant. Immò vt inquit dictus *Sancius*, *quemadmodum indecens eſſet Religioſos D. Dominici, Franciſci, aut Auguſtini &c. habitum ſuæ Religionis deponere. Ità, & Religioſis militaribus parum conueniens erit arma deponere in ſimili occaſione, cum ſint illis accincti tamquam habitu proprio ordinis militaris.*

Et latè hoc probat, ſed nec peccant alij Fideles. Si enſe cincti accedant ad Sacramenta ſuſcipienda. Ità idem *Sancius loco ſupra*, & videtur etiam huius ſententię eſſe *Diana* licet modificet illam, ait namque *tract. 2. de*

dubijs

dubijs Regularium reſol. 30. *probat etiam Sancius, Laicos non obſtante conſuetudine in contrarium, ſi hoc facerent peccatum nullum committere, immò nec irreuerentiam ſi taliter accedant præhabita cognitione non referre quidquam, ſi enſe accinctos, ſeù abſque illo accedere. Ità Sancius quem puto hanc ſententiam tenere ſecluſo ſcandalo, quod in tali caſu difficilius non contingere exiſtimo.* Hæc habet *Diana* Sed pace ſua dixerim nimis in hac re ſcrupuloſus vult videri, & timet, vbi non eſt timor. Scandalum enim apud rudes, & indoctos Homines erit, & hoc etiam pare paſſiuum, nam cum ſic accedentes ex altera parte videant genuflexos, pectora plerunque percutientes, ſigna doloris dantes non eſt cur ſuperbiæ, & elationi tribuant, id quod alteri iuſtæ cauſæ poſſent tribuere. Immò ſcias, quod refert *Sancius* in multis locis Mari vicinis, omnes enſe accinctos ad Sacramenta ſolere accedere. Addè etiam, quod militum proprius habitus iſte eſt. Vndè vt teſtatur *Criſpoltus in ſuis caſibus militaribus,* ſi quis miles data opera ſine enſe incederet pæna arbitraria, & non leui puniendus eſſet.

Milites ſciebant ſuum Capellanum eſſe virum improbum. Quæritur; an potuerint ab eo petere Sacramenta.

DVBIVM QVADRAGESIMVMSEXTVM.

TEſtentur ipſi milites, quoties eis hic caſus accidat.

Azorius tom. 2. *lib.* 12. *cap.* 17. *quæſt.* 7. licet cum diſtinctione, procedat tamen in caſu poſito, debet hos milites à peccato excu-

ſare

ſare, ſicut excuſant *Cabrerà, & Ledeſma*, *Granado*, & alij quos refert, & videtur ſequi *Diana tract. 7. de ſcandalo reſol.* 3. Nam iſti Capellani ſunt Sacerdotes deſtinati ad danda Sacramenta militibus, quorum comitatus ſunt Capellani, ſicut Parochus ſuis Parochianis.

Immò etiam ſi non eſſet Sacerdos obligatus ad dandum Sacramentum in caſu neceſſitatis putarem ab eo in tali neceſſitate poſitum poſſe petere Sacramenta, quia tunc habet tale ius; Et *Diana* putat non eſſe peccatum mortale ſcandali petere, & accipere Sacramenta à Sacerdote exiſtente in peccato mortali, ſi inuenitur, & reperitur in loco publico excipiens Confeſſiones aliorum; etiam ſi ad alium Sacerdotem bonum poſſet quis accedere, quia re vera id non eſt cooperari peccato miniſtri, nec inducere illum ad peccatum cum ipſe iam ſe offerat ad illud peccatum; Sed hęc ratio patitur aliquam difficultatem. Vndè potiùs meo iudicio *Diana* probare poterat dictum cum illa opinione; quæ aſſerit Sacerdotem in peccato exiſtentem, dùm ſucceſſiuè multorum confeſſiones audit, vnicum tantum peccatum committere. Vndè ad eum accedens non induceret ad nouum peccatum.

Quando autem non adeſt neceſſitas ex parte petentis, & recipientis, nec obligatio ex parte Sacerdotis *Cabrera in 3. par. de Sacramentis quaeſt. 64. art. 6.* docet poſſe Sacramentum etiam peti, & recepi à quocumque Sacerdote malo, dummodò ſit talis Sacerdos paratus; ſic quando virtute alicuius Iubilęi, aut priuilegij conceditur facultas eligendi Confeſſarium, & plures Sacerdotes ſedent ad audiendas Confeſſiones poteſt ex eis ęligi concubinarius

Digitized by Google

narius relicto alio. Dicit tamen *Cabrera* hoc valere ſi ſit doctior, ſi nullum ſit ſcandalum ex tali electione videntibus, & eſſe ſemper peccatum veniale; ex quibus tamen limitationibus tantum placet ſecunda; dummodò non ſit ſcandalum videntibus; nam parum refert ad ius eligendi, quod ſit doctior nec ne, cum nec referat quod ſit bonus, vel malus; Nec capio, cur hoc ſit peccatum veniale, & maximè per ipſum *Cabreram*, cum hoc bono ſine faciat petens, & eligens ſcilicet cum ſine doctiorem eligendi.

Sed quæres, quid ſi milites ſciant Capellanos eſſe Regulares Apoſtatas; (Quod vtinam non tàm ſępè eueniret) poterunt ne tunc ab eis pænitentiam petere, & recipere? Ratio dubitandi eſt, quia huiuſmodi Apoſtatæ excommunicati ſunt; excommunicati autem non benè adminiſtrare poſſunt Sacramenta.

Reſpondeo varias eſſe in hac re Doctorum ſententias quinque refert *Stephanus Auila de Cenſuris par. 2. cap. 6. dub.* 2. qui doctiſſimè de hac re agit, ſed quia hic breuitati ſtudemus, breuiter danda eſt ſolutio. Reſpondeo igitur poſſe milites etiam à Capellano Apoſtata, & ab alio Sacerdote petere, & recipere Confeſſionem prob. *Ex Concilio Conſtantienſi*. Vbi habetur. *Inſuper ad euitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientijs timoratis contingere poſſunt Chriſti fidelibus tenore pręſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à Communione alicuius in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut alijs quibuſcumque Diuinis, vel extra prætextum cuiuſcumqꝫ ſententiæ, aut cenſura Eccleſiaſtica à iure, vel ab homine generaliter promulgata teneatur abſtinere*. Quæ facultas

M licet

licet non ſit directè in fauoré excommunicati eſt tamen indirectè, quia eo ipſo, quod mihi datur facultas petendi, & recipiendi Sacramenta ab excommunicato, datur etiam eidem facultas miniſtrandi.

Contrariam ſententiam docent *Baſilius Pontius, Granado, Vazquez, Sairus,* & alij quos citat *Diana tract. ſupra verſ. ſed difficultas eſt,* varias etiam limitationes videre potes circa hanc rem, apud *Auilam loco ſupra,* v.g. quando Sacerdos eſt Parochus, quando non, quando adeſt neceſſitas, quando non; & ſimilia, quæ ſi diſtinctè vellem explanare nimis longus eſſem, & potiùs dubia de excommunicatione, quam dubia militaria mouerem.

An Caſtellani habeant iuriſdictionem aliquam.

DVBIVM QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

DVbium hoc quoque cum militare ſit, inter dubia militaria meritò locum habeat, ſed quia hoc magis ad Iuriſperitos, quam ad Caſiſtas attinet; referam tantum verba, quæ in hac re habet nouiſſimus ſcriptor, & doctiſſimus *Carena de modo procedendi in caſus fidei par.* 2. *de varijs ſpectantibus &c. tit.* 17. ait ergò. *Et mihi accidit etiam alius caſus, nam cum quidem miles Hiſpanus nomine Franciſcus Caſalis fuiſſet carceratus in Caſtro S. Crucis huius Ciuitatis, cuius ego ſum Auditor de ordine Illuſtriſſ. D. D. Ioannis Vazquez Coronado, iſque fracto carcere dicti Caſtri aufugiſſet, & poſtea captus fuiſſet, & iterum in eodem Caſtro carceratus, dixi iuriſdictionem meam eſſe non autem Au-*

ditori

ditoris Generalis Exercitus, qui etiam acquieuit, & ſic ego de eo feci relationem, & quamuis Caſtellani regulariter non habeant iuriſdictionem cum tantummodò deputentur ad cuſtodiam Caſtri, vt ſupponit Fran. deciſ. 458. *& per conſequens nec eam habeant eorum Auditores. Attamen ex priuilegio Regis habent aliqui; Caſtellanus Arcis S. Crucis Ciuitatis Cremonæ, & eius Auditor habent iuriſdictionem criminalem, & ciuilem priuatiuè, quo ad quoſcumque milites Caſtri, & ego cognoui cauſas criminales ſanguinis dictorum militum, etiam extra Caſtrum ipſum delinquentium.* Hæc *Carena* qui ſubdit tali priuilegio etiam gaudere Caſtellanum Arcis Iouis Mediolani, & etiam tres Caſtellanos Ciuitatis Neapolis, & citat aliquos Iuriſtas inter quos noſtrum Patrem *de Aponte,* qui Regens fuerat ante Religionis ingreſſum.

An Milites licitè poſſint pugnare die Feſto.

DVBIVM QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

SCrupoloſum videbitur aliquibus hoc dubium nam conſuetudine, & continua experientia videmus oppoſitum fieri ſcilicet conflictus, & pugnas die Feſto, adhùc tamen ſciant milites de hac re dubitare, & tractare omnes ferè Doctores, qui de bello agunt; & adeſſe hinc indè Doctorum placita.

Prima ſententia dicit in die Feſto non eſſe licitum pugnare ni vrgeat neceſſitas, quæ neceſſitas eſt; vel ſaluandæ Reipublicę; vel conſequendæ victoriæ; Ità aliqui quos refert *Bonacina de contract. diſp.* 2. *quæſt. vlt.* §. *p.*

M 2 Se-

Secunda aſſerit hoc eſſe licitum, etiam ſi nulla ſit neceſſitas, dummodò Miſſa audiatur. Ità *Caietanus, Paſqualigus noſter in ſuis doctiſſimis deciſionibus* idem ſuſtinet, & dat aliam rationem. Quia pugnare cum ſit pars quædam adminiſtrationis Reipublicæ non eſt opus ſeruile. *Rodriquez, Bañes Emanuel Sà verb. bellum,* & alij plures. Ratio fundamentalis eſt, quia bellum non eſt opus ſeruile, cum etiam à Principibus exerceatur. Ità *deciſione* 146.

Dices in die Feſto, non licet malefactores ſupplicio afficere non alia ratione; niſi quia per effuſionem humani ſanguinis videtur, non benè venerari ſanctitas diei. Vndè Iudæi *Ioannis* 18. dicebant *nobis non licet interficere quemquam*, quia ſcilicet erat dies Feſtus. Et Herodes poſt Paſcha voluit occidere Petrum, quia in diebus Azimorum non licebat *Act.* 12. Ergò multò minùs licet bellum gerere, quia plus ſanguinis in bello funditur, quam in priuato ſupplicio.

Reſp. negando conſequentiam; Ratio negationis eſt, quia maior eſt neceſſitas belli, quam priuati ſupplicij, quod benè differri poteſt ſine vllo detrimento; bellum autem ſæpè non poteſt.

Dices ſecundò. In iure Canonico decernitur abſtinendum eſſe à bello certis anni temporibus, vt dicemus (in dubio) *de Tregua*, in quibus dies Feſti non ſunt; ergò à fortiori abſtinendum eſt à bello diebus Feſtis.

Reſp. iam ius illud Canonicum non eſſe in vſu; vt notat *Gloſa cap. p. de Tregua, & pace, & Valentia, & Malderus, & alij in tract. de bello*. Deindè eſto quod in vſu eſſet; non valeret argumentari; ergò per illud ius diebus Feſtis prohibetur bellum.

Nota

Nota hic obiter diebus Feſtis licitè poſſe fieri torneamenta, ſi ex eis periculum vitæ amiſſionis non ſequatur; quidquid dicant *Riccard. in 3. diſt. 37. art. 3. quæſt. 4. & Angel. verb. Chorea* ſuſtinent hoc *Armill. verb. Chorea Syluest. quæſt. p. & verb. Ludus quæſt. 2. Cordub. in ſum. quæſt. 64. Sanchez tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 16. num. 2. & Paſqualig. in ſuis varijs deciſ. de his quæ Feſto die licen. deciſ.* 151. variæ rationes huius concluſionis adducuntur à Doctoribus, alij hac vtuntur, quia labores ludrici non ſeruiles, ſed liberales ſunt. Ità *Caietanus*, alij quia huiuſmodi ludi, hæc torneamenta ordinantur ad relaxandos animos, ad refocillandos; Vndè in eis exercetur virtus Eutrapeliæ. Ità *Paſqualigus loco ſupra*.

Alij, & meo iudicio melius, quia huiuſmodi torneamenta ordinantur ad oſtendendam corporis agilitatem, & dexteritatem ſicut ergò, quæ ordinantur ad ingenium oſtendendum opera ſeruilia non ſunt, vt acu pingere, & ſimilia; ſic dicam ipſe, nec ea, quæ ſolùm ordinantur ad aliquam corporis dotem oſtendendam ex ſui natura opera ſeruilia ſunt, talia ſunt torneamenta. Ergò.

Collige ex dictis eſſe etiam licitas exercitationes militares, quibus tempore pacis milites inſtruuntur ad præliandum. Tùm ratione conſuetudinis, tùm etiam ratione moralis neceſſitatis cum cæteris diebus commodè non poſſint fieri. Itá *Paſqualigus loco ſupra*.

Miles

Miles quidem equeſtris applicans quandam herbam, & certa ſcripturæ verba proferens equos ſanabat. Quæritur an peccatum ſuperſtitionis committeret.

DVBIVM QVADRAGESIMVMNONVM.

SÆpè, me præſente, hoc fecit ille miles, qui etiam affirmauit ſe innumeros ferè equos infirmos tali pacto ſanaſſe, vndè in dubium in mentem venit, an iſte peccaret peccato ſuperſtitionis; Et quidem certum eſt inter ſuperſtitionis ſpecies varias obſeruationes ſanitatum numerari, quæ tunc fiunt quando adhibentur aliqua verba, vel alia ſigna, aut cerimoniæ inanes ad hominum, vel animalium curandos morbos ad ſiſtendum ſanguinem, mitigandos dolores, ad conſeruandam vitam, valetudinem; ad ſe reddendum immunem contra læſionem hoſtium, & ſimilia facienda hoc poſito.

Reſpondeo cum *Leſſio lib. 2. cap. 43. de ſuperſtit.* vel virtus illa ſanandi erat annexa, non ſolùm herbæ applicatæ, ſed etiam illis verbis.Ità vt à quocumque illa verba proferantur; habeatur effectus. Vel tantum illa virtus eſt annexa illi perſonæ. Si priori modo res ſe habeat, ego condemnarem ſuperſtitionis illum militem in caſu poſito, quia illa verba non habent in ſe vim à natura ad ſanandos morbos, nec à Deo, quia Deus nulla ſigna per ſe efficacia inſtituit præter Sacramenta, & hæc ad curationem Animæ non Corporis, nec dici poteſt, quod illa verba habeant vim per modum impetrationis ad obtinendam à Deo ſanitatem, & virtutem illi

illi herbæ; nam ſi hoc eſſet non à quocumque illa verba proferentur haberetur effectus, cum non omnes hoc à Deo regulariter loquendo impetrarent, etiam ſi poſſent impetrare. Vndè ſupereſt tantum, quod hoc fiat ex pacto Dæmonis, vel explicito, vel implicito.

Si autem ſecundo modo res ſe haberet; iam tunc ille tàm facilè non eſſet ſuperſtitionis damnandus, quia per varias ſcripturas conſtat aliquibus concedi à Deo gratiam curationum. Nec præſumendum eſt, illum ſic operari ex pacto Dæmonis; nam Diabolus cum omnibus concurrit, qui ipſius ſigna adhibent, vt omnes ſibi obliget, & perdat. Quod ſi aliquando effectus non ſequatur hoc euenit, vel quia non benè ſigna ex eius præſcripto applicantur, vel quia deeſt aliqua conditio, vel quia diuinitus impeditur effectus. Hanc omnem doctrinam apud *Leſſium* habes; lege ipſum, & non pigebit.

Sed quia plurimis alijs modis ſolent multi homines ſanitatem efficere, & vulnera curare hic verba *Laimañ* referam, quæ fortè curioſis non diſplicebunt. *Exempla talium vanitatum plurima ſunt ſi ferrum, quo læſus es in porcinum vnguem infigatur, aut certum genus arboris cedatur ſanitati reſtitutum iri, ſi loco vulneris circumligandi, arboris ramus, aut ſcamni pes ligetur curationem ſecuturam. Vt olera ab erucis non infeſtentur ſummo diluculo quotidiè ſcopis tangenda eſſe. Vt pluuia proueniat Sanctorum Imaginem aquis mergendam eſſe.* Hæc *Layman*, vide alias plurimas huiuſmodi ſuperſtitiones apud *Victoriam in Reloc. de arte Magica quæſt. 3. num. 6.* & apud *Sanchez* vbi agit *de ſuperſtitione*, & hæc aduertè poſſe verè damnari, vt ſuperſtitioſa, quia illa, quæ adhibentur tali modo, vt

patet

patet naturalem vim medendi non habent, vndè obſeruationes vanæ ſunt.

Verùm quidem eſt admirabiles multis rebus ineſſe aliquando virtutes, quæ homini non ſunt notæ. Vndè iſti effectus non ſunt ſtatim, vt ſuperſtitioſi damnandi. Sic non erat damnandus tamquam ſuperſtitioſus, qui dicens aliqua Sacra verba inuocans ſcilicet Sanctiſſimã Trinitatem, & inhalans ſuper vulnera, ea curabat, quia illa inhalatio pæculiarem poterat habere vim naturalem ad ſananda vulnera, & verba dici poterant ex deuotione.

Sic etiam multæ familiæ, vt teſtantur hiſtoriæ hanc virtutem curandi morbos habebant. Pſylli in Africa, Marſi in Italia tangentes percuſſos à ſerpentibus ſanabant. Mirabilis enim illa virtus eis eſt à Deo conceſſa, alia multa ſimilia, ex *Cardano* colligere potes.

Dux Milites quorum vnus erat Regularis Apoſtata. Alter Eiectus mortui ſunt in bello. Quæritur ad quem nam ſpectant eorum bona.

DVBIVM QVINQVEGESIMVM.

Diuerſimodè in vtroque caſu reſpondendum eſt, & in primis ſi loquamur de milite Apoſtata.

Reſpondeo cum diſtinctione, vel hæc bona licitè acquiſita ſunt, ideſt ſine aliquo turpi & prohibito modo, vel cum turpi modo, cum turpi enim, & illicito modo poſſunt dari aliqua iuſtè acquiſita vt patet in meretrice, quæ illud quod acquirit, in

ſententia

ſententia magis probabili, & communi; etiam per actum malum iuſtè acquirit, & detinet.

Si de prioribus bonis loquamur ideſt licitò modo acquiſitis, v.g. de eis quæ Regulari illi Apoſtatæ ſunt donata, quæ ex labore manuum acquirit. Hæc ſi extra clauſtra moriatur ſunt debita Cameræ Apoſtolicę. Ità communiter Doctores *Laurentius de Portel. verb. Apoſtata, Naldus verb. Religioſus*, qui ſuo more Conſtitutionem *Gregorij XIII.* in hanc rem editam adducit ad verbum, quę incipit *Officij noſtri*; Si autem intra clauſtra iſte Apoſtata moriatur ſine aliqua controuerſia ſunt Monaſterij.

De alijs autem bonis illicitò modò acquiſitis, vt ſunt etiam ſtipendia acquiſita, nam pugnare non poteſt Eccleſiaſticus, adhùc dubium eſt inter Doctores, etiam ſi intra clauſtra moriatur ad quem nam pertineant, ad Monaſterium, an ad Cameram Apoſtolicam, datque dubitandi motiuum Bulla quędam *Pij IV.* quæ incipit *Decens eſſe cenſemus* in qua declarat pertinere ad Cameram Apoſtolicam bona acquiſita à Clericis tã Sæcularibus, quàm Regularibus per illicitam negotiationem. Quam tamen Conſtitutionem, *Suarez cap. 2. de Religioſis mutantibus ſuum ſtatum* non audet extendere ad Apoſtatas, cum in ea tantum ſit ſermo de Clericis quidquid dicat *Nauarrus.*

Si autem hic Apoſtata extra clauſtra moriatur: iam Cameræ Apoſtolicæ illa bona adiudicantur patet ex *Bulla Gregorij XIII. ſupra.*

Nota hic obiter caſus cuiuſdam ſimilis ſolutionem vnus Regularis de licentia Superiorum Religionis habitum dimiſit, vt in aliam Religionem ingrederetur, poſteà ante profeſſionem in ſecundò ordine factam ab eo

diſceſſit; nec ad priorem ſuam Religionem rediens, (animo tamen ſemper retento ad eam redeundi) militiæ ſe adſcripſit vbi moriens multa poſt ſe reliquit bona; quęſitum fuit cuius nam eſſent hæc bona, & ratio dubitandi eſt, quia iſte verè non erat Apoſtata, nec enim dimiſit habitum, & animum redeundi ad Religionem ſeruauit. Vndè nec incidit in excommunicationem contra habitum dimittentes, nam licet ſine habitu incederet; iam ipſum dimiſerat de licentia Superiorum.

Layman de hac re loquens hęc habet. *Alia verò ratio eſt de fugitiuo, quem vti ſeruum Monaſterium vendicare poteſt; quare de eo ità diſtingue. Vel Eccleſiæ ſeruit. vel nulli ſi primum tùm ad eamdem pertinere debent, ſaltem ea bona quæ intuitu illius Eccleſiæ acquiſiuit, vt docet Azorius. Si ſecundum tunc ſi ſit Ordinis Mendicantium, qui bonorum communium incapax eſt pertinent illius bona ad Sedem Apoſtolicam, vel nemine eius ad Sindicum Monaſterij.* Hæc *Layman*, quæ quandò nam vera ſint explicat, dùm ſubdit. *Verùm ſi Apoſtatæ, aut fugitiui ſuis bonis priuentur, vel moriantur antequam ad Religionem reducti ſint, ipſorum bona tamquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam ſpectare, ex Conſtitutione Pij IV. & Gregorij XIII.* teſtatur *Nauarrus de ſpolijs Clericorũ.*

Supereſt modo reſpondere ſecundę difficultati ad quẽ, nam pertineant bona militis defuncti, qui erat Regularis eiectus, & in hac maior eſſe poteſt difficultas.

Molina, Leſſius, Godofredus, quos citat *Layman lib. 4. tract. 5. cap. 13. de Statu Religionis*, aſſerunt omnia hæc bona Religioſi eiecti iuſtè acquiſita ad Monaſterium pertinere, nec diſtinguunt ſi intra, vel extra Religionem moriatur. Ratio eſt, quia Monaſterium per iuſtam

eiectionem

eiectionem non debet priuari iure, quod antea habebat in omnia acquiſita à Profeſſo ſuo.

Sed *Layman loco ſupra, Nauarrus, Azorius*, quos ipſe pro hac ſententia adducit putant bona eiecti pertinere ad aliquam Eccleſiam Diœceſanã, ſi ibi eiectus habeat beneficium, vel ad Romanam ſi nullum, vt eſt in caſu noſtro; Ratio eſt, quia Regularis per ſententiam iuſtam nullam iam cum Monaſterio communionem habere cenſetur.

Nota tamen hic; ſi eiectus hic miles extra clauſtra moriatur, vt de facto ſupponimus caſum, pertinere eius bona tempore eiectionis acquiſita ad Cameram Apoſtolicam. Ità *Suarez* quidquid dicat *Naldus verb. Religioſus*, qui tantum bona Regularium indebitè extra clauſtra degentium aſſerit ad Cameram Apoſtolicam pertinere, & colligit hoc *Suarez ex Bulla Gregorij XIII.* ex qua *Naldus* colligit contrarium, ſed ſine ratione cum in ea Bulla omnia bona Regularium extra clauſtra morientium etiam de licentia Superiorum puta in beneficio, & ſimilibus Cameræ Apoſtolicæ adiudicentur eſt enim illa Bulla reuocatoria *Bulla Pij IV.* Quod non aduertit *Naldus* pace boni ſenis dixerim.

Miles multa habebat ex furto rapina &c. acquiſita in varijs regionibus, vbi militauerat, nec Dominos ſciebat. Quæritur quid facere debeat.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMPRIMVM.

BONA incerta (ſupponendum ex communi doctrina eſt) alia eſſe debita ex contractu, alia ex delicto, alia eſſe inuenta. Nos hic

tantum loquimur de bonis acquiſitis ex delicto.

Mazuchellus nouiſſimus Doctor *de caſib. reſeruatis diſp.* 2. *cap.* 13. *difficul.* 3. latè, & doctè de hac re agit. Ego breuitar quid ſentiam dicam, & quidem duo iura conſiderare debemus, & ius naturale, & ius poſitiuum.

Dico ergò primo iure naturali illa bona non ſunt reſtituenda pauperibus, quidquid in contrarium dicant multi DD. noſtrum dictum ſuſtinent *Mazuchellus loco ſupra*, & doctiſſimus *Petrus Nauarra tract. de reſtitutione lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 76. qui varias adhibet diſtinctiones, quarum ego hic vnam, quæ facit ad materiam noſtram ſuis verbis referam ait igitur ſic. *Quare ego ſic quæſtionem reſoluerem, ſi enim ſpoliandorum, & reſtituendorum magna eſſet copia præcipuè aliquarum rerum ablatarum in ſpecie extantium, vt ſi Dux, vel alius, qui inſolidum tenetur reſtitutionem facere, tùm non pauperibus; ſed vt prima dicit opinio, vel hominibus illius Ciuitatis, vel in vſus eiuſdem ſecundum arbitrium Doctoris eſſent expendenda. Ratio huius eſt, quia in tanta rerum multitudine, & quantitate veroſimile eſt, multos, & maiorem partem damnificatorum recompenſandam fore.* Ità *Nauarra*. Sed quando damnum non eſt ità commune, nec etiam tunc de iure naturæ incerta ſunt danda pauperibus, ob optimas rationes quas adducunt Doctores, & idem *Mazuchellus*. Primò, quia fieri poteſt, vt Domini mortui ſint in peccato mortali, vel in hæreſi, vel in infidelitate, in quo caſu diſtributio ea illis non poteſt prodeſſe. Secundò, quia ſi res incertę ex lege naturali deberentur pauperibus lex iſta vigeret, quod falſum eſt. Tertiò, quia ſi hoc eſſet non poſſet Pontifex facere compoſitionem cum debitore bonorum

incertorum cum ſpectarent ad pauperes, quod contra praxim eſt.

Dico ſecundò, de iure poſitiuo, bona iſta incerta, quæ communia non ſunt ideſt à communitate ablata, pauperibus ſunt eroganda. Itá communiter DD. *Mazuchellus vt ſupra,* & ipſe *Petrus Nauarra.* Qui tamen contrarium docet de bonis inuentis, quæ poſt adhibitam diligentiam ſi eorum Dominus non inueniatur, poſſunt ab inuentore retineri cum nullum ſit ius poſitiuum, quod aliter decidat. Ratio concluſionis deſumitur ex *cap. cum tu,* quod licet vt videre potes loquatur de bonis ex vſuris acquiſitis, tamen applicant Doctores omnibus alijs bonis iniuſtè acquiſitis ex ratione ipſius *Textus*, quæ ad hæc omnia extenditur.

Quomodo autem reſtitutio pauperibus ſit facienda, valdè controuerſum eſt apud Doctores in aliquibus Diœceſibus, & præcipuè in hac Mediolanenſi in Capſula Incertorum ſunt reponenda; in alijs Epiſcopus, reſtitutionem facere ſibi reſeruat, quod ipſum Ordinarium non poſſe affirmant *Roſellus, Angelus, Tabiena* citati à *Mazucbello*, qui tamen docet poſſe.

Nota inſuper hic doctrinam ſatis vtilem, qnam docent plures Doctores, & præcipuè *Layman de reſtitutione* ob diſtantiam etiam Dominorum, rerum iniuſtè acquiſitarum ex qua oritur difficultas eos inueniendi, poſſe pauperibus illa diſtribui, hoc aduertant Confeſſarij militum, nam in militibus hic caſus accidere frequenter poteſt, cum hi ſoleant in varijs Mundi partibus militare, & in omnibus incolas damnificare.

An

An Duces teneantur ab exercitibus expellere milites, qui ſunt Regulares Apoſtatæ.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMSECVNDVM.

QVOD Duces in caſu poſito non ſint cooperatores Apoſtaſiæ poſitiui, clarum eſt, nam vt ſuppono, nec induxerunt, nec excitauerunt Regulares illos ad exitum à Religione non conſilium dederunt, non adiuuauerunt, non defendunt Apoſtatas, non occultant; nec ſi eos peteret Prælatus denegarent. Vndè non ſunt verè cooperatores Apoſtaſiæ poſitiui, qui hæc omnia debent præſtare, vt ſint tales ex Doctrina *Suarez lib. 3. de Religioſis mutantibus ſtatum cap. 3. tom. 4. de Relig.* Dubium eſſe poteſt, an ſint cooperatores negatiui. Qui ſunt illi, qui cum poſſint impedire Apoſtaſiam non tantum in fieri, ſed etiam in facto eſſe ideſt commorationem in ſæculo id facere negligunt, ad hoc autem (vt doctiſſimè aduertit loco ſupra *Suarez*) requiritur obligatio; ſi enim non ſupponitur obligatio, nullo pacto delinquet, qui hoc facere negligat. Obligatio autem duplex eſſe poteſt, vel ex officio, vel ex charitate, & hæc obligatio ex charitate non facit negligentem cooperatorem Apoſtaſiæ, licet iſte ſic obligatus peccet contra charitatem ſi negligat. Prior autem obligatio ex officio faciet negligentem cooperatorem. Veniamus ergò hoc poſito ad dubij reſponſionem.

Dico ergò primo Duces ex officio non tenentur expellere milites Regulares Apoſtatas; Prob. eorum officium

cium extenditur tantum in ordine ad militarem diſciplinam, & ad impedienda illa damna, & mala, quæ à militibus regulariter ſolent perpetrari; vt furta, rapinas, & ſimilia non autem ad impedienda alia peccata militum Reipublicæ non nociua, eſſet enim nimis onerosum eorum onus, ſi ad hoc tenerentur Duces. Ergò nec tenentur expellere Apoſtatas. Deindè adſunt Prælati, qui ex officio tenentur quęrere, & reducere huiuſmodi Apoſtatas. Ergò non eſt, quod ad hoc teneantur Duces. Addè quod aliquando etiam ipſi Prælati excuſantur ab hoc, quando ſcilicet Apoſtatæ illi incorrigibiles eſſent, & Religioni nociui, vt plerumque accidit, ſic tenet *Suarez*, & colligit ex *Diuo Bonauentura in lib. quæſtionum circa Regulam S. Franciſci quæſt.* 14. vbi loquens de tali Religioſo inquit. *Si Deo permittente talis ſe ipſum eiceret gratia ſunt Deo agenda, non quia ille peccauit; ſed quia oues ſuas à peſtifera contagione liberauit. Vtinam abſcindantur qui nos conturbant, ſcilicet puritatem veſtram, pacem, & famam*, & ratio eſt, quia ſicuti poteſt Religio Religioſum perniciosum à ſe abicere; Ergò ſi ipſe à ſe abeat à fortiori non tenebitur illum inquirere, & reducere. Ità ſentit *Syluest. verb. Apoſtaſia num.* 10. cuius verba ſunt hæc *Quando tamen aliquis talis eſſet ſcandaloſus, & periculoſus alijs, & aptè non poſſet capi, & corrigi, & detineri fortè Prælatus, & Conuentus non tenetur reducere talem*. Si ergò illi, qui ex officio tenentur Apoſtatas quęrere, & remouere à ſtatu malo in his caſibus ſunt excuſati; à fortiori excuſabuntur multò rationabilius Duces, qui ex officio non tenentur hoc facere.

Dico ſecundò. Neque ex charitate tenentur Duces

expellere

expellere ex ſuo comitatu hos milites Apoſtatas. Prob. Tunc obligatio charitatis non habet vim, nec obligat in conſcientia, quando ille cui debemus ſubuenire poteſt ſe ipſum adiuuare, quando poteſt deſerere peccatum, à quo non abſtinet ob malitiam,& voluntatem malam. Sic dat exemplum *Sancius in Selectis*, & mordicus defendit, Sacerdotem non poſſe peccatori occultò Hoſtiam non Conſecratam pro Conſecrata miniſtrare, vt euitet peccatum illius, quia ſibi ipſi debet ille peccator imputare ſacrilegium *diſp.* 34. *num.* 33. ſed ſic eſt in caſu noſtro, in quo illi milites poſſunt ab Apoſtaſia, ſi velint, recedere; Ergò non tenentur Duces, neque ex charitate eos reducere ad Religionem, nec expellere ab exercitu.

Dices ſaltem tenentur eos corrigere. Reſpondeo, neque hoc facere tenentur ſi nulla ſpes emendationis adeſt. Quod ſi corrigant, nec ſe emendent bene poterunt retinere; ſic Domini, ſic Patres, nec filios, nec famulos tenentur expellere, qui nolunt ieiunare, vt habes ex *Homobono par.* 7. *exam. Ecclſ. tract.* 8. *cap.* 7. & ex *Ghelino verb. Ieiunium num.* 9.

Inſtabis iſti milites Apoſtatæ tenentur redire ad ſuas Religiones, ergò Duces tenentur illos ad eas reducere.

Reſp. concedo antecedens nego conſequentiam do rationem negationis, nam nimis durum eſſet, quotieſcumque aliquis obligatur ad aliquid faciendum, debere alium eſſe qui ad adimplendam talem obligationem ipſum compelleret, & cogeret. Sic tenetur quis reſtituere, nec per hoc ego debeo illum cogere ad reſtitutionem, & ſimilia.

An Duces

Digitized by Google

An Duces teneantur ſub mortali expellere ab Exercitu Meretrices.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMTERTIVM.

PARS affirmatiua, quàm etiam rectè militantium vſus confirmat ſuaderi poteſt; Quia Duces in conſcientia tenentur ex officio milites ſuos in militari diſciplina continere *Llamas par. 3. Methodi concl.* 21. Idcircò enim conſtituuntur militum Superiores. Verùm maximè laxatur, immò conuellitur diſciplina militaris ex conuerſatione militum cum meretricibus, luxuria enim milites eneruat, effeminatque ex *Veget. lib. 3. de re milit.* & nihil magis fortiores reddit, quàm fœminarum fuga iuxtà illud Poetæ in Georgicis.

Nulla magis vires induſtria firmat,
Quam Venerem, & cæci ſtimulos auertere amoris

propterea ex allegandis Doctoribus Caſtra à caſtrando dicta ſunt, quod milites vt fortes ſint, & apti bello honeſtè, & caſtè viuere debent. Hanc primam ſententiam videntur ſuſtinere *Homobonus de humana vitæ ſtatibus Lucas de Pen.* ab eo citatus in *leg. ſicut de erogatione militar. Annona,* hac ratione ſcribentes meretrices ab exercitibus ſubmouendas, & ob hoc etiam, vt teſtatur *Petrus, Gregorius, Tholoſa de Repub. lib.* 11. *cap.* 7. *num.* 43. Galli habent in militia hanc legem qua pręcipitur Auditoribus exercituum expellere à militum comitatu meretrices; Quo tamen non obſtante.

Reſp. Duces in conſcientia non teneri expellere me-

retrices ab exercitu, hanc concluſionem debent innumeri Doctores ſuſtinere *D. Thomas Opuſ. de regimine Principum lib.* 4. *cap.* 14. *littera I. Iaſon in leg. cunctos Populos Comitolus lib.* 3. *par.* 5. *num.* 13. *Toſtatus in Deuteron. cap.* 24. *quæſt.* 6. *Graffius p. par. deciſ. lib.* 2. *cap.* 75. *Zerola verb. Lupanaria, Maſcardus tom.* 2. *de probat. concl.* 1067. *Couarruuias p. par. de ſponſalibus cap* 4. *num.* 7. *Homobonus p par. examinis Eccleſiaſtici tract.* 7. *cap.* 23. *Barboſa in cap. omnis num.* 4. *diſtinct.* 3. & ex noſtris vir doctiſſimus *D. Ioannes Calepius* amiciſſimus meus, qui glorioſos redderet Typos, ſi vellet; quem in hac re conſului, cuius iudicio acquieui immò omnia, quę hic pono ex eius manuſcripta ad me miſſa deciſione deprompſi. Fundamentum concluſionis eſt; quia ratio naturalis ſemper dictat de duobus malis minùs ſemper eligendum, ſed minùs malum eſt permittere meretrices, quàm Adulteria, Inceſtus, Sacrilegia, Stupra, Nefandum crimen, & ſimilia. Nam ſimplex fornicatio minùs malum his omnibus eſt, ergò. Hinc *D. Auguſtinus dicebat. Tolle meretrices de Mundo, & replebis ipſum Sodomia,* & *D. Thomas ipſe* 22. *quæſt.* 10. *art.* 11. dicit hoc fieri ad imitationem Dei, qui permittit aliqua mala, quo maiora vitentur; Sed hæc, & maiora mala perpetrarentur à militibus, ſi ab exercitibus meretrices expellerentur, ergò. Prob. minor: Nam homines bellicoſi regulariter ſunt calidi, & præ alijs luxurioſi, & præcipuè equites, vt ait *D. Thomas*, quia qui aſſiduè equitant libidinoſiores euadunt, vt *Problem. Ariſtotelis lect.* 4. *Problem.* 12. nam agitatione, & motu caliditas augetur; tùm etiam ob alias cauſas conſideratas à *Ludouico Septalo in ſuis comment. in illud Problem.* 12.

Ergò

Ergò in conſcientia non tenentur Duces expellere à ſuis ſignis meretrices, nam ſic, vt ioco, dicam milites expellerent, cum meretrices milites dicantur. Diaboli ſcilicet; dictæ enim ſunt tales à merendo, vt ex *Calepino verb. Meretrix*, & mercede militant.

Ad rationes, & auctoritates, quæ contrarium probare videntur: Tunc Duces teneri hoc facere ſi eis à Principe talis lex imponeretur, quæ quidem iuſta lex eſſet. Auctoritatem verò docere quidem hoc malum eſſe, non tamen ob hoc non debere permitti, cum vt dixi minùs malum permittitur ad euitandum maius.

An Duces, Centuriones, vel alij Officiales, qui Militibus pecunias mutuant expectantes, quod ſoluant tempore, vt dicunt del Socorro, *poſſint pro tali dilatione vltra ſortem aliquid recipere.*

DVBIVM QVINQVAGESIMVMQVARTVM.

FRequentiſſimè ſolent milites hanc difficultatem mouere, quia etiam ſæpiſſimè hoc ſolent facere; pro reſponſione igitur ſuppono in primis, non hic loqui in eo caſu, in quo eſſet, vel lucrum ceſſans, vel damnum emergens, nam ſi hęc eſſent iam non daretur locus difficultati.

Duplex ergò in hac re eſt Doctorum ſententia. Prima quæ magis communis eſt negat pro dilatione ſolutionis mutui conceſſa poſſe aliquid vltra ſortem accipi. Ità *Bonacina, Reginaldus*, & alij ferè innumeri, immò *Molina*

tract. 2. *diſp.* 308. hanc adeò mordicus ſuſtinet, vt oppoſitum dicere aſſerat temerarium, ratio, & fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſi oppoſitum poſſet defendi, poſſet etiam omnis contractus vſurarius ſaluari, nam ſemper poſſet fieri pactum non repetendi mutuum vſq; ad tantum tempus, & ſic pro hac dilatione aliquid vltra ſortem recipi. Secundò, clarum eſt, quod ex mutuo nullo ceſſante lucro, nullo damno emergente, nullum poſſit haberi lucrum; ergò cum hæc dilatio non variet rationem mutui, nihil poterit vltra ſortem pro ipſa recipi. His tamen non obſtantibus ſcias.

Ioannem Medinam de reſtitutione cap. 32. & nouiſſimè *Zachariam Paſqualigum in ſuis doctiſſimis deciſionibus* contrarium ſuſtinere, referam eorum fundamenta, quæ fortè non diſplicebunt. *Medina* hac via incedit, qui ſe priuat pecunia pręſenti; aliquod veluti ſubit grauamen, cum priuet re quę ſibi placet, ergo prò hoc gauamine poterit aliquid vltra ſortem recipere verba eius ſunt hęc. *Indè infertur poſſe mutuantem aliquid ſupra ſortem recipere ſine vitio vſuræ, aut iniuſtitiæ ratione grauaminis, quod ex mutuata pecunia patitur* Paſqualigus autem ſic probat *deciſ.* 184. *de Monte Pietatis*. *Reſpondeo titulum eſſe realem, & realem etiam commutationem, & ideò non paliare vſuram, ſed tollere nam licet ſola pecunia transferatur cum hoc tamen ſtat, quod transferatur commodum pecuniæ, quod eſt quid reale, & transferens pecuniam, potentia ad lucrandum realiter priuatur, nec eſt nouum, quod ex ſolo diuerſo titulo contractus ſit vſurarius, & non vſurarius*. Hæc *Paſqualigus*. Tu primam ſententiam ſequere, eſt magis communis, & pia.

An Milites

An Milites pugnantes in bello iniuſto teneantur reſtituere ſtipendia, quæ acceperunt.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMQVINTVM

FAcilis erit huius dicti ſolutio, nam in terminis illam ponunt multi Doctores *Bonacina tract. de bello lib. de Contractibus,* qui plures alios citat auctores *Emanuel Sà, Vazquez, Petrum Nauarram, Syluester,* & alios.

Reſpondent ergò hi omnes non teneri hos milites, ad reſtitutionem fundamentum eſt, quia licet opus ſit ex ſe illicitum, & iniuſtum, attamen labor, & periculum vitæ, quod in eo paſſi ſunt hi milites, eſt pretio eſtimabile, vndè benè iuſtè pro ipſo poſſunt aliquid accipere. Deindè; ſi hoc ſtipendium reſtituendum eſt, maximè illi, qui dedit, ſed illi non eſt reſtituendum, cum nulla facta ſit ei iniuria in accipiendo, Confirm. deindè etiam reſponſio multis exemplis, quæ in ſententia probabili, immò modo communi admittuntur; meretrix licet per opus illicitum tradens ſuum corpus, aliquid acquirat, attamen acquiſitum poteſt retinere. Mandatarius licet iniquè faciat occidens, attamen acceptum pro mandato poteſt retinere; quia iſtæ operationes, licet malæ ſunt tamen pretio eſtimabiles.

Dices ſi Theſaurus per magiam ſit repertus, pars illius quæ ſi licito modo fuiſſet inuentus. Inuentoris fuiſſet, eſt danda Fiſco. Ergò illa, quæ illicito modo acquiruntur non poſſunt tuta conſcientia retineri.

Reſpondeo eſſe peculiare, quid in theſauro tali pacto

inuento,

nuento, nam ius poſitiuum ità decernit ſic habetur *ex l. vnica C. de Theſauris*, vt aduertunt Doctores, vndè non debet extendi hoc ad alios caſus: Deindè poſſet etiam aſſignari aliqua diſparitas inter hunc, & caſum poſitum; nam theſaurus per magiam inuentus ſine labore aliquo reperitur, vndè nihil eſt in hac operatione pretio eſtimabile, at in caſu, & dubio poſito militare, tot pericula ſubire licet iniuſtè, & illicitè, aliquam mercedem exigit ipſaque dignum eſt.

An Duces poſſint licitè arma ſua, vel Inſignia in Eccleſijs collocare.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMSEXTVM.

EXimius Doctor *Abulenſis* agens de gladio Goliath, quo Dauid ipſum Gigantem occiderat *lib. p. Regum tom. 2. cap. 21.* Cum hic gladius in Tabernaculo Domini ſit poſitus; agit etiam incidenter, an poſſint Duces ſua arma, ſua Inſignia in Templis figere, &

Reſpondet breuiter hoc eſſe licitum, ſed non ad oſtendendum ſuam fortitudinem; & victorias in bello illis armis obtentas, nam in hoc clarus finis vanæ gloriæ ineſſet. Sed ad oſtendendas quidem ſuas victorias ex Dei peculiari beneficio obtentas. Ità vt omnes hæc videntes moueantur ad laudes Dei, & aduerte hoc etiam à Ducibus poſſe fieri, qui in bello iuſto pugnant etiam contra alios fideles, nam etiam in hoc caſu eadem militat ratio eadem cognitio Diuini beneficij demonſtratur,

& ad

& ad Dei laudes incitantur videntes.

Sed quando bellum eſt contra Infideles, tunc hoc præcipuè licitum eſt, tunc enim Deo maxima gloria debet dari; cum illud bellum Dei, vt ità dicam, proprium ſit, vndè Doctores dubitant, an milites qui moriuntur pugnantes contra Infideles pro Fide Martyres ſint, licet negatiuè ferè omnes reſpondeant. Ità *Molſeſius de Rudimentis Fidei cap.* 11. *num.* 36. *Leſſius cap.* 1. & ratio negationis eſt, quia ad Martyrium adultorum, quinque requiruntur irrogatio mortis, eius acceptatio, non reſiſtere Tyranno, fide tenere veritatem, & eſſe in gratia. Pugnantes autem pro fide reſiſtunt, vndè ob hanc ſolam deficientem conditionem non ſunt Martyres.

Gubernator cuiuſdam Caſtri minatus incolis vicinis multa mala ni contributiones darent vt debebant, ſed animum verè illa mala inferendi non habebat. Quæritur an iuſtè retineat, quod ſic extorſit.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMSEPTIMVM.

BENE dicit *Diana tract.* 4. *Miſcell. reſol.* 34. hunc caſum primo aſpectu facilem videri, eſſe tamen nimis difficilé, ſi benè expendatur. Vndè *Molina de Iuſtitia tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 514. *num.* 4. dicit, & mordicus defendit in hoc caſu, qui ſic extorſit aliquid, obligandum eſſe ad reſtitutionem. afferam hic caſum quem ipſe adducit, & eius verba. *Dubium item eſt num quando conceditur repititio pecuniæ ludo prohibito acquiſitæ fas ſit, & qui ludo illo eam amiſit comminari*

repetitionem

repetitionem, ac paciſci cum lucrante, vt partem ſibi reſtituat. Reſpondendum eſt affirmanter. Qui tamen, vel ob verecundiã, ac infamiam, vel quacumque alia de cauſa repetiturus non erat animumque repetendi finxit, vt alius deterritus partem lucri reſtitueret credo retinere id in conſcientia non poſſe. Quoniam, qui ità reſtituit iuſtè illud tamquam ſuum retinebat, & qui animum repetendi finxit fallacia, ac ſimulatione iniuſtè id ità ab illo extraxit. Hæc *Molina*, quorum vt verum fatear vim ego non intelligo. Vndè

Reſpondeo cum communiori ſententia, quam ſequuntur *Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 42. Sanchez, & Caſtro Palao*, quos refert *Diana* bene poſſe hunc Gubernatorem retinere, id quod ſic recepit ab incolis; Ratio eſt quia, & ſi non haberet animum illa mala faciendi, quæ minabatur habebat tamen ius faciendi, ni darent contributiones. Vndè eo iure vti poterat, nec aderat dolus iniuſtus, ſed iuſtus, & ſic cum illud ius eſſet pretio eſtimabile pro ipſo rem alias debitam poterat recipere.

Nec ratio adducta à *Molina* in caſu ſimili de ludo vim habet.

Nam quid nam refert, quod mihi debitum acquiram hoc, vel illo modo, ad hoc, vt tenear reſtituere; Sic per inſidias, per varia ſtratagemata Principes Ciuitates, ad quas ius habent acquirunt; nec per hoc tenentur reſtituere; ſic occultè facit compenſationem cum ſuo debitore aliquis, cum poſſet alia via debitum recuperare, nec per hoc obligatur ad reſtitutionem; Cur ergò in caſu noſtro, & in caſu poſito à *Molina*; quia per ſimulationem, & fictionem debitum recuperatur, & id ad quod ius habeo, dabitur obligatio reſtitutionis?

Dices

Dices iſti non darent contributiones ſi animum Gubernatoris agnoſcerent. Ergò inuoluntariè dant; ergò iniuſtè ille recipit.

Reſp. nec voluntariè dant, dùm ſine illa fictione, & ſine illo animo exiguntur dictæ contributiones, nam ſi poſſent non darent. Ergò parum refert ad obligationem reſtitutionis quod voluntariè, vel inuoluntariè dent.

Collige ex hoc caſum ſimilem, quem ponit *Leſſius loco ſupra*; Si quis habebat ius accuſandi, v.g. Petrum ob delictum commiſſum, & minatus eſt ei accuſationem; quam tamen facere non habebat in animo, ni tantam pecuniam daret, poterit illam accipere, & retinere tuta conſcientia ob eandem rationem, & fundamentum in caſu poſito adductum.

Miles videns ſe, & amicum in euidenti periculo vitæ equum cui inſidebat amico dedit, quo ſe ſaluaret. Quæritur; an licitè hoc fecerit.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMOCTAVVM.

SOlutio huius dubij ab illa quæſtione celebri dependet; an liceat exponere propriam vitam pro conſeruanda alterius vita. In qua mirum eſt quot ſint Doctorum ſententiæ. Ego nolo hic eas omnes recenſere breuitatis gratia, cui maximè in his dubijs ſtudeo, vide eas apud *Dianam tract.* 4. *de homicidio reſol.* 28. vbi fusè ſatis preter eius morem hanc quæſtionem conſiderat; &

Reſpondeo, pro amico benè potuiſſe ſe equo priuare,

& propriam vitam exponere. Hanc ſententiam defendunt *Azorius, Victoria, Corduba* omnes relati ab ipſo *Diana loco ſupra, & Lorca* vir doctiſſimus *in 22. quæſt. 26. art. 5. ſec. 3. diſp.* 28. Idem aſſerit ſic dicens.

Ego tamen cenſeo hoc modo exponere vitam pro alio eſſe quandoque opus egregiæ fortitudinis, quandoque eſſe laudabile vt ſi exponatur pro patre, aut pro amico. Sed inſuper poſteà addit. *Sed quãdoque erit non laudabile, & inordinatum, vt ſi exponatur pro quocumque alio homine.* Nolo immorari in aſſignando huius ſententiæ fundamento, ſed tantum aduerto.

Contrarium docere *Durandum, Gabrielem, Richardum, Paludanum, Bellarminum,* & ex neötericis *Hurtado de Mendoza in 22. diſp.* 144. *ſec.* 4. *Parag.* 42. & cum diſtinctione quadam nimis longa incedere *Fabrum de reſtitutione in* 4. *diſt.* 15. Hinc habe. ſimiles caſus ſolutiones.

Licet homini conſtituto in naufragio dimittere tabulam, in qua poteſt euadere, vt alter eam apprehendat, & ſaluetur; licet in hac ſicut etiam debet in noſtra dicere hanc limitationem faciat, *Rodriquez in ſum. Hiſpana tom. 1. cap.* 221. *num.* 6. vbi ſic habet. *Si alguno eſta pueſto en la mitad del Mar en vna tabla no es licito ſalirſe de ella, paraque otro ſe ponga en ella, y ſe ſalue; mas ſi no eſta metido en ella ſino que la tiene para aquella neceſſidad, puedela dexar à otro, aunque ſepa, que de alli ciertamente le hà de ſucceder la muerte, porque en eſte caſo ſolamente es vna cauſa negatiua reſpecto de ſu muerte; eſta ſentençia es de Soto.* Itaq; iuxta hanc ſententiam deberemus dicere in caſu poſito poſſe illum militem equum amico dare antequam ipſi inſideat, non vero poſt. Sed hæc diſtinctio varias patitur

titur difficultates.

Sic etiam habes, licere homini conſtituto in extrema neceſſitate videnti alium eſſe in eadem cibum vnicum, & neceſſarium relinquere, & alteri dare; Sic etiam homini itineranti per glacies, & niues veſtem ſuam alteri præbere in eadem neceſſitate iter facienti. Addè etiam alias ſimiles cauſas adeſſe, ex quibus potes vitam tuam exponere morti; Sic vt Principem tuum defendas potes te telo contra ipſum directo objjcere; Sic ſeruire potes peſte infectis, etiam ſi ſcias te moriturum; Sic poteſt miles inijcere ignem in puluerem tormentarium ad euertendam turrim hoſtilem, & ſi certo ſciat ſe ſubito comburendum, & alia plurima ſimilia.

An Miles, qui in conflictu videt commilitonem in extrema neceſſitate, & in eadem, ſed in acie hoſtili Patrem, teneatur defendere commilitonem, & Patrem relinquere.

DVBIVM QVINQVAGESIMVMNONVM.

RAtio dubitandi eſt, quia quando propinqui, & conſanguinei, & extranei etiam ſunt in extrema neceſſitate debemus prius ſubuenire proximis, & conſanguineis, quam extraneis; vt rectè charitatis ordo procedat, ergò ſic in caſu noſtro.

Reſpondeo tamen, & ità Reſpondet *Abulenſis*, & communiter Doctores priùs talem militem teneri ad defendendum, & adiuuandum commilitonem, quam proprium patrem in acie hoſtili pugnantem, & probatur

 dictum.

dictum. Communicatio in bellis non ordinatur ad conſeruationem vnius, ſed totius Reipublicæ, nec miles adiuuans commilitonem adiuuat eum tanquam perſonam priuatam, ſed tanquam totam Rempublicam, cuius ille negotium gerit. Cum igitur bonum vniuerſale, & commune ſit anteponendum bono particulari non eſt mirum, quod miles magis teneatur ad defenſionem, & adiutorium commilitonis, quam patris, & hoc à fortiori valet, quia vt ſupponitur in acie hoſtili pugnat.

Ad rationem dubitandi dico in priori caſu ſemper agi de bono priuato; Vndè cum magis ex pietate teneatur adiuuare parentes, quam alios non eſt mirum ipſis priùs, & poſteà extraneis ſit ſubueniendum.

Dices. Pietas eſt pręferenda obſeruantiæ, nam maior eſt virtus, ſed obſeruantia eſt ob Principem, alium commilitonem adiuuare. Pietas verò ſubuenire parentibus, ergò priùs erga parentes debeo exercere hanc virtutem pietatis, quam obſeruantiæ erga Duces, & Principes.

Reſpondeo. Negando minorem, nam non eſt obſeruantia erga Principem, dùm adiuuo in bello commilitonem, ſed exercetur tunc, vel iuſtitiæ legalis officium, vel pietatis, pietatis quia hæc eſt ad patriæ beneuolos, & benefactores quales ſunt maximè Principes, qui patriam gubernant. Iuſtitiæ legalis, quia bonum commune continet. Obſeruantia autem erga Principem, tunc exercetur quando eum conſidero, vt me pręcisè gubernat.

Sed quæres hic obiter; Si filius videat patrem in acie hoſtili dimicantem poteſtne eum occidere, & ad eum ictus dirigere?

Bartolus, & Gomez, quos citat *Diana*, ſi conſequenter

ter velint loqui, immò à fortiori debent aſſerere hoc à filio licitè fieri poſſe; Nam dicunt patrem bannitum à filio licitè poſſe interfici, ergò multò magis licitè poterit interfici pater in acie hoſtili dimicans.

Ego concederem poſſe à filio patrem in acie hoſtili dimicantem interfici, ſed negarem poſſe patrem bannitum occidi, vt negant *Iulius Clarus in prax. crimin. lib.* 5. *& Bonacina de contract. diſp.* 2. *quæſt. vlt. ſec. p. punct.* 2. *num.* 3. Ratio eſt quia in eo caſu filius non amittit obligationem naturalem, qua erga patrem tenetur; & in communi hominum eſtimatione hoc eſſe contra pietatem videtur; Non ſic dùm pater in acie hoſtili dimicat, nam tunc plerumque committitur crimen lęſæ Maieſtatis in Principem à patre, ob quod ceſſat obligatio pietatis in filio, vt docent *Decius in cap.* 1. *num.* 7. *de offic. Deleg. & Nauarrus in præcepta Decalogi cap.* 14. *de* 4. *præcepto num.* 13. Vel ſi tale crimen non committitur, iam bonum Reipublicæ, contra quod ipſe dimicans facit, debet illi priuato bono anteponi. Quod totum, vt conſideranti patet, non currit in caſu, quo pater bannitus eſt tantum.

Et nota hic inſuper; licet filius patrem in hoſtili acie pugnantem poſſit licitè occidere; non tamen obligari ad hoc faciendum; Sic filius poteſt quidem patrem accuſare de crimine, vel in Regem, vel in Rempublicam; non tamen ad hoc tenetur, vt tenent in terminis *Decius loco citato, & Nauarrus etiam loco ſupra.*

An Mi-

Digitized by Google

An Milites capti ab hoſtibus poſſint fugere ſine peccato.

DVBIVM SEXSAGESIMVM.

ADmirati ſunt multi milites quibus hoc dubium moui, nam quotidie hoc facimus dicebant, nec peccatum committere dubitamus, immò ſi nobis fugæ daretur locus, nec eam capeſceremus crimini nos obnoxio putaremus. Videant tamen quantum ſit fundamentum in hac re dubitandi.

Prima ſententia aſſerit non poſſe Fugere ſine culpa lethali. Ità *Gloſſa ad caput Ius Gentium diſt. pr. V. Seruitutes per caput. Si quis ſeruus* 17. *quæſt.* 4. & *Nauarrus* etiam, multique alij.

Secunda, quæ eſt communior, & probabilior dicit poſſe fugere. Ità *Sotus lib.* 4. *de Iuſtitia, Reginaldus de bello ſect.* 4. & omnes ferè qui de bello tractant. Ratio eſt, quia captiuitas eſt pæna quædam iuris, quæ infligitur à victoribus, qui tenent locum Iudicis in bello iuſto. Sicuti igitur non eſt obligatio ſubeundi pænam, ità vt euadere eam quis non poſſit, cum ſe ſe offert occaſio. Ità quia captiuitas eſt pęna corporis miles poteſt fugere ad eam euadendam.

Gloſſa autem quando aliter ſentire videtur intelligenda eſt de ſeruis emptitijs, quos certum eſt, non debere fugere cum iam priuent ſic Dominos ſua poſſeſſione.

Sed ſic Doctores omnes non faciunt in dubio poſito ad rem, nam loquuntur de more antiquo, quo capti in bello ſerui fiebant. At iam hic mos eſt, deſtructus inter

Chriſtianos

Digitized by Google

Chriſtianos qui non fiunt ſerui, dùm capiuntur in bello, ſed tantum debent, & poſſunt ab hoſtibus detineri vſq; dùm ſe pecunia, vel aliqua alia re liberent, vndè maior vrget difficultas ſi loquamur de Chriſtianis, ab alijs Chriſtianis bello captis, & ratio cur maior ſit difficultas eſt, quia pæna, quam ſubeunt ob captiuitatem non eſt ſeruitus, ſed tantum ſimplex quædam detentio; quando autem pæna non eſt adeò grauis, & iuſtè infligitur non videtur adeſſe idem ius illam euadendi, ſi detur occaſio, ſicut adeſt ius euadendi pænam, quæ nimis grauis, & oneroſa eſt. Sed hoc non obſtante.

Reſpondeo poſſe etiam ſine peccato fugere milites Chriſtianos, à Chriſtianis captos; varijs modis probari poſſet concluſio in primis poſſet quis dicere poſſunt fugere, quia dùm inter Catholicos eſt bellum ſemper vnà pars bellantium debet exiſtimare, alteram partem contrariam iniuſtè pugnare; bellum enim ex vtraque parte iuſtum materialiter eſſe non poteſt, vt docent communiter Doctores tractantes de bello. Ergò milites capti ab hoſtibus debent putare, iniuſtè hoſtes, qui eos cæperunt pugnare, & pænam conſequenter detentionis eſſe iniuſtam. Vndè licitè eam euadere poſſunt; Sed hæc ratio habet ſuas difficultates, poſſet enim aliquis negare non eſſe hoc putandum de hoſtibus, quod iniuſtè pugnent cum hinc indè poſſint eſſe opiniones probabiles, quæ bellum iuſtum ex vtraque parte faciant, & ſic nec iniuſta debet putari eorum detentio.

Meliùs ergò probatur meo iudicio; ſic; nemo tenetur ſubire pænam, ſiuè grauem, ſiuè leuem; ità vt ſi detur occaſio eam euadendi, non poſſit euadere. Ergò. Prob. antecedens

antecedens de pœna graui, commune eſt apud Doctores. Ergò etiam infero ipſe de pęna leui; & probo, nam ſi aliqua ratione non poſset, quis pęnam leuem euitare, dúm ſe ſe daret occaſio, eſset, quia iuſtè infligeretur; ſed etiam iuſtè infligitur pœna grauis, & tamen poteſt quis eam euitare, ergò &c.

Deindè, ordinariè nimis onerosa eſt hæc pœna, quam patiuntur milites Chriſtiani capti, etiam ab alijs Chriſtianis, nam ibi fames, ibi nuditas, ibi variæ aliæ calamitates experiuntur. Ergò idem dicendum, ac dicunt communiter Doctores de pœna graui.

Obij Religioſus carceratus licet poſſit è carcere fugere, ſi pœna capitis imponatur, ſi pœna mutilationis, ſi damnetur ad triremes; Attamen ſi aliqua alia pœna ei imponatur, quæ leuis ſit fugere non poteſt, vt videre potes apud *Sanchez in ſumm. tom. 2. lib. 6. cap.* 8. *à num.* 12. *vſq; ad* 17. Ergò ſic dicendum in caſu noſtro ſuppoſito, quod pœna detentionis ſit pęna leuis.

Reſp. eſſe diſparem rationem inter vtrumque caſum. Religioſus enim ſi pœna, quam carceratus debet ſubire, ſit leuis non poteſt fugere. Quia alio vinculo ligatur à clauſtro non exeundi per vota enim liberè emiſsa hac ſe libertate priuauit, vndè ſi fugere non poteſt eſt ob aliam rationem, non quia pœna ſit grauis, vel leuis. At in caſu noſtro de militibus captis, non adeſt hoc aliud vinculum, & hæc alia obligatio, ergò ruit argumentum.

Nota hic obiter, nec Religioſum, ſi damnetur ad triremes, poſſe fugere ſine peccato, in ſententia *Sanchez loco ſupra*. Sed nimis rigoroſè loquitur hic Doctor; placidiùs, & mitiùs ſe habet *Bañes* 22. *quaeſt.* 69. *art.* 4. *poſt*

conclu-

concl. 5. Et aduerte inſuper; quando dicimus Religioſum carceratum poſſe fugere, ſemper hoc intelligi, non vt vagetur, ſed vt Superiorem adeat veniam petiturus.

An Milites capti poſſint actus hoſtiles contra proprium Principem exercere.

DVBIVM SEXSAGESIMVMPRIMVM.

CAſus eſt talis miles v. g. Hiſpanus captus à Gallis cogitur ab hoſtibus, qui eum tenent captum, vt hoſtiles actus faciat in Hiſpanos ictus in eos dirigat, tormenta bellica explodat, & ſimilia, peccatne mortaliter eos actus exercendo.

Doctores caſum ſimilem ponunt de captis Chriſtianis à Saracenis, & quærunt an ſi iſti capti contra Fideles aliqua ob metum faciant, peccentne, & cum limitatione in hac re procedunt. Dicunt enim ſi actus hoſtiles, quos exercent immediatè, & directè ſint offenſiui, vt iactus bombardæ, & ſimilia. Tunc capti Fideles peccant; ſi non ſunt tales, ſed indifferentes, vt remigatio v.g. tunc non peccant dummodò cum metu, graui hoc faciant. Ità communiter Doctores. Sed caſus noſter diuerſus eſt, & habet in ſe maiorem difficultatem, nam in hoc non exercent capti actum hoſtilem in bello iniuſto, ſed in bello putato iuſto, cum ſit bellum Catholicorum, vndè diuerſa eſt ratio dubitandi, vt patet conſideranti.

Reſpondeo ergò breuiter non poſſe milites captos hos actus hoſtiles in proprium Principem exercere, nec

metu mortis. Ratio eſt quia, cum per illam detentionem, & captiuitatem non liberentur à Dominio, & poteſtate quam habet in eos ſuus Princeps, nec à iuramento fidelitatis non poterunt in eum, nec in ſuos, qui ſunt eius membra actus per ſe directè hoſtiles exercere, cum ſint mali, etiam ſi bellum ſit iuſtum ex parte capientium. Poterunt tamen metu mortis actus indifferentes facere, vt mœnia ſtruere, annonam deportare, & ſimilia.

An Milites capti ab hoſtibus, qui promittunt ſe redituros, ſi per aliquot dies liberentur, peccent ſi non ſtent promiſſis.

DVBIVM SEXSAGESIMVM SECVNDVM.

INnumeri, vt ità dicam ſunt milites; qui ſic ab hoſtium manibus ſe ſe eripiunt; nec in peccatum aliqnod ſe incidere putant, ſi promiſſum non ſeruent, licet honorem ſuum labefactare exiſtiment. Vndè ſi ad hoſtes redeunt; hoc preſtant timentes honoris maculam, non peccati. Videamus ergò an peccant.

Et quidem communior ſententia eſt promiſſionem omnem; dummodò non fictè fiat, obligare in conſcientia. Ità ſuſtinent *Sanchez, Leſſius, Nauarrus, Turrianus, Vazquez, Filiucius, Malderus, Beia, Salonius*, omnes relati à *Diana tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſol.* 9.

Oppoſitam ſententiam tamen docent alij graues Doctores, & ſunt *Fumus verb. perfidia, Henriquez, Petrus de Ledeſma, Fernandez* pariter citati à *Diana loco ſupra.*

Omitto hic afferre vtriuſque ſententiæ rationes, & fundamenta, & aduerto omnes dictos Doctores loqui tantum

Digitized by Google

tantum de promiſſione gratuita, nam de promiſſione onerosa nullum vidi, qui promittentem in conſcientia non obliget ad ſtandum promiſſis. Vndè difficultas in dubio propoſito eſt, an promiſſio illa, quam facit miles captus ſit onerosa, vel gratuita.

Aliqui quos conſului dicunt eſſe gratuitam, ſed neſcio qua ratione.

Reſpondeo ergò eſſe promiſſionem onerosam, & conſequenter obligari dictos milites in conſcientia ad ſtandum promiſſis. Probo primam partem quod ſcilicet ſit promiſſio onerosa, nam vt liberentur promittunt, & de facto liberantur, ergò non gratis promittunt ſe redituros, ſed vt libertas eis per aliquod dies concedatur. Ergò obligantur. Hoc docet *Fragoſus de arbitris*.

Neque dicas iſti milites capti habent ius ad libertatem, ergò nihil eis ab hoſtibus datur, quod ſuum non ſit nam Reſpondeo, etiam hoſtes habere ius eos detinendi, quo iure cum priuentur ob promiſſionem, promiſſio onerosa eſt; non gratuita. Intellige tu tamen hoc cum bellum eſt iuſtum ex parte capientium.

Gubernator cuiuſdam Oppidi, belli tempore omnes litteras, quæ veniebant ad Incolas aperire ſolebat. Quæritur an licitè hoc faceret.

DVBIUM SEXSAGESIMVMTERTIVM.

APerire alienas litteras obſeratas, ſi cum animo nocendi fiat indubitatum eſt, non poſſe à peccato graui excuſari. Ità quamplures Doctores *Rodriquez tom. 2. quæſt. 36. Graffius*

 tom.

tom. p. Aurearum deciſ. lib. 2. cap. 135. Azorius tom. 3. lib. 13. cap. 31. Nauarrus in manuali cap. 18. num. 53. Peirinus tom. p. de ſubdito quæſt. 2. §. 13. & alij. Maior difficultas eſt in decidendo, an peccet grauiter qui alienas litteras aperit ſine hoc animo nocendi, inuito tamen eo ad quem tales litteræ diriguntur.

Ego licet de hoc clarè, & explicitè nullos Doctores loquentes viderim; Reſponderem peccare grauiter, nam illi faciunt iniuriam litterarum dominis, ſeu illis, ad quos litteræ diriguntur, & ſunt veluti fures cum rem alienam accipiant inuito Domino hanc rem, dico ſecretum, quod conſeruandi habet ius vnuſquiſque. Vndè ſi ego nollem aliquod meum negotium tibi notum, & tu me inuito eius notitiam ſine aliqua iuſta cauſa data opera inquireres, & ad eius notitiam peruenires, ſi eſſet res grauis, neſcio qua via à peccato lethali poſſes excuſari ob iniuriam, quam mihi faceres.

Neque dicas in hoc caſu non inferrem tibi damnum; ergò nec facio iniuriam; ergò nec pecco, nam

Reſpondeo negando primam, & ſecundam conſequentiam aliud eſt enim, inferre damnum, aliud iniuriam poteſt enim aliquis iniuriam pati ſine damno, & patet hoc ex definitione ipſa iniuriæ. Iniuria eſt alieni iuris violatio, ergò cum poſſit ius alienum violari ſine damno, poterit etiam dari iniuria ſeparata à damno. Sic in caſu noſtro, violatur ab aperiente litteras ius alienum conſeruandi ſecretum, ergò etiam ſi hoc fiat ſine damno, vel etiam ſine voluntate dandi damnum iam cum iniuria fiet, & ſic cum peccato, ſed veniamus ad ſolutionem dubij poſiti.

Reſpondeo

Reſpondeo licitè potuiſſe dictum Gubernatorem aperire omnes incolarum litteras. Ità in terminis *Iacobus de Graſſijs lib. 2. Aureorum deciſionum cap.* 35. ponam hic eius verba, nam ex eis alias caſuum ſimilium ſolutiones habebis. *Sed nec venialiter quando id faceret ex conſenſu expreſſo, vel præſumpto mittentis, vel eius cui mittuntur, vel qui litteras amici, vel ſocij in hoc aperit ne negotia iacturam patiantur, vel qui auctoritate publica id facit, quod bellorum tempore, in bellorum confinijs, vel peſtis id factitari videmus, vel maritus, aut pater, qui litteras vxoris, vel filiorum ſibi ſubditorum aperiunt, vel Prælatus, aut Prælata, dùm litteras aperiunt, quæ ſuis ſubditis mittuntur.* Ratio eſt quia bonum commune anteponendum eſt omni iuri particulari, & priuato; Litteræ autem in hoc caſu aperiuntur ob bonum publicum, & commune ad manifeſtationem machinationum, & ſimilium, ſi quæ ſint.

Scias hic; non peccare alienas litteras aperientem ob curioſitatem ſciendi noua, vel captandi riſum ex barbara compoſitione, aut voluptatem ex eleganti. Ità *Graſſius loco ſupra, & Peirinus etiam loco citato*, nam etiam ſi in his caſibus inuiti ſint, illi cui litteræ mittuntur, attamen ſunt irrationabiliter inuiti.

Scias etiam, non peccare alienas aperientem litteras; ſi hoc faciat ad malum quod ſibi, vel proximo probabiliter timet, euadendum; Itá ferè omnes ſupra relati Doctores, & ratio eſt; quia quando concurrunt duo præcepta naturalia contrariũ dictantia, illud prævalere debet, quod fortiùs eſt; Sed in caſu noſtro concurrunt duo præcepta contrarium dictantia, de ſeruando ſecreto, & de non ſeruando propter vitam; Ergò hoc vltimũ debet prævalere.

An in

An in obſidione alicuius Ciuitatis, ob neceſſitatem, poſſint obſeſſi veſci carnibus humanis.

DVBIVM SEXSAGESIMVMQVARTVM.

CAſum in terminis ponit *Diana tract. 6. Miſcel. reſol.* 48. Vndè noſter labor tantum erit Doctorum, quas ipſe adducit ibi ſententias hic referre, & quaſdam obiectiunculas ſoluere.

Valentia igitur *Fernandez, Victoria, Azorius, & Syluius* negant hoc eſſe vnquam licitum.

Sed oppoſitum, & melius meo iudicio ſuſtinent *Leſſius lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 2. *Emanuel Sà verb. comedere Abulenſis in* 4. *Regum cap. 6. quæſt.* 12. cum qua ſit.

Concluſio veſci carnibus humanis licitum eſt in extrema neceſſitate; Secluſo tamen homicidio, & ratio eſt, quia hoc non eſt intrinſicè malum, vt mordicus probare contendit *Valentia tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. Deindè eſto quod veſci talibus carnibus prohibitum eſſet iure naturę, iure tamen naturæ prohibitio non obligat in vitæ diſcrimine, nam tunc adeſt aliud ius naturæ validius, quod docet nos debere tueri vitam omni modo licito, quo poſſumus, talis autem modus in caſu dato is ſolum eſt. Et confirm. dictum à fortiori; in infirmitate, in qua dubitatur de vita communiter per Doctores, & etiam per dictum *Valentiam*, eſt licitum aliquod remedium ſumere in quo ſit caro humana, haurire ſanguinem ex vena adoleſcentis detractum, ad roborandam ſenectutem, quod remedium ſingulare exiſtimant Medici; Ergò etiam à fortiori

tiori

tiori veſci carnibus humanis licebit ad conſeruandam vitam.

Neque dicas cum *Valentia*, in infirmitate deſeruiunt carnes humanæ per modum medicamenti, non autem cibi, vndè benè aliquis poteſt eis vti pro medicamento, non pro cibo, nam.

Reſpondeo non videre in hoc diſparitatem, niſi in nomine, non autem in re; ad conſeruationem enim vitæ in vtroque caſu ſumuntur, vndè parum refert ſi in hoc eſt difformitas, quod per modum medicamenti, vel cibi ſumantur.

Obij comedere has carnes humanas eſt contra pietatem, nam pietas dictat, & docet cadauera mortuorum eſſe ſepelienda, ergò eſt illicitum.

Reſp. pietatem quidem dictare, & docere mortuos ſepeliendos eſſe; Cum autem maior pietas ſit hominis ad ſe ipſum, quam ad alternm, cum reperitur in extrema neceſſitate pietas ad ſe ipſum vincet pietatem ad alterum, & ſic poterit humanis cadaueribus vti. Sic dat exemplum optimum *Abulenſis loco ſupra*. Interdum ob neceſſitatem humanam videmus cadauera tractari aliquantulum crudeliter, licet pijſſimè debeant tractari, vt patet quando exercetur ſectio anathomica, per quam Chirurgici, & Medici erudiuntur.

Obij ſecundo. Si hoc eſſet licitum, etiam liceret in extrema neceſſitate conſtitutis occidere homines, vt eis poſſet veſci; ſicut licet occidere animalia.

Reſpondeo; negando ſequelam nam ius conſeruandi vitam, quod quiſque habet, eſt per modum licitum, interficere autem homines eſt intrinſicè malum; Vndè

hoc

hoc medio non poteſt quis vti licet finis ſit bonus; ſic non licet furari, vt des eleemoſynam; nec paritas de occiſione animalium valet; nam interficere animalia per ſe non eſt intrinſicè malum.

Obij tertiò; Si hoc eſſet licitum tempore obſidionis, & in quacunque alia extrema neceſſitate, non tantum poſſet quis veſci carnibus humanis, ſed teneretur hoc facere; At contrarium videmus, nec legimus, & audimus hoc fieri ergò.

Reſp. Negando ſequelam, quod teneretur quis veſci ſi poſſet, nam ſicut ob dolorem ingentem, quis non tenetur, etiam ſi ſit neceſſaria ad conſeruationem vitæ tollerare mutilationem, cum non ſit tantò dolore digna ſalus; vt inquit ille; Sicut etiam ob verecundiam, & pudorem poteſt honeſta fæmina potiùs mori, quam ſe Medico oſtendere, vt docent *Leſſius lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 6. *&* *Nauarrus cap. Si cui num.* 13. Ità etiam dico ipſe ob naturalem auerſionem, quam aliquis habet, comedendi carnes humanas, poterit potiùs mortem ſubire in extrema neceſſitate, quam eis veſci, licet poſſet tuta conſcientia ſi vellet.

Meretrix aliqua fuit à Milite defunƈto hæres inſtituta. Quæritur an poſſit in conſcientia retinere hæreditatẽ.

DVBIVM SEXSAGESIMVMQVINTVM.

DVbium hoc mouet in terminis, & reſoluit doctus *Criſpoltus in caſibus militaribus caſ.* 45. & fusè de eo agit, vt Iuriſta tamen non vt Caſuiſta; Dicam ergò breuiter, quid in hac

hac re ſentiam.

Et ſuppono in primis hæreditatem relictam eſſe de bonis tantum caſtrenſibus, nam ſi de alijs bonis eſſet diuerſimodè quoque deberem reſpondere hoc poſito.

Dico meretricem tuta conſcientia poſſe ſibi relicta à milite defuncto retinere. Ità citatus *Criſpoltus*, qui pro ſe plures adducit Iuriſperitos. Ratio eſt quia de bonis caſtrenſibus habet priuilegium teſtandi miles etiam ſine patris licentia, cui voluerit, quia teſtamenta militum non ſubiacent querelę inofficioſi *l. teſtamentum*, vt tenet *Caball. caſ.* 294.

Dices militi interdicitur inſtituere hæredem, turpem perſonam *l. Miles de militari teſtamento*, vt communiter defendunt Doctores, ergò non potuit hic miles inſtituere hæredem meretricem, quæ perſona turpis eſt.

Reſp. legem hanc intelligendam eſſe de turpi perſona à tempore conditi teſtamenti, non ſufficit autem quod turpis de præterito fuerit, quia expurgari poteſt infamia agendo pænitentiam. Vndè ſi honeſtè deindè viuat capax eſt hæreditatis.

Deindè aduerte hic rem certè curioſam; ad hoc, vt aliqua dicatur meretrix; ſi ob amorem peccet; requiri, vt dicit *gloſa p. Decreti parte in caput Vidua eſt*, vbi ſic habet, *Meretrix, quæ multorum libidini patet, quæ admiſerit plures quam viginti tria millia hominum*. Vndè ſi illa meretrix ob amorem militem illum ſequebatur meretrix non erat in rigore, & ſic nec perſona turpis. Ergò poterat inſtitui hæres.

An Milites illi, qui dicuntur Ventureros, *gaudeant priuilegijs Militum.*

DVBIVM SEXSAGESIMVMSEXTVM.

Ratio dubitandi eſt, quia tales milites non ſunt ſcripti vt pluries in matricula, nec fruuntur ſtipendijs, quæ militibus ſolent ſolui in hac re igitur duplex eſt Doctorum ſententia.

Prima negat milites tales frui priuilegijs militum. Ità *Ripa, & Antonius Meren.* quos citat *Criſpoltus caſu* 45. Fundamentum iſtorum eſt, quia per *l. Titius* eſt diſpoſitum tales ad hoc vt fruantur priuilegijs in numerum militum debere adſcribi, quo tamen non obſtante.

Contraria ſententia magis placet, quam mordicus defendit ſupra relatus *Criſpoltus*, & pro ſe adducit innumeros alios Doctores, & probat multis rationibus. Primò, ratione naturali, nam iſti milites maiori prærogatiua digni ſunt, cũ ſine incommodo Principis ſuum ſanguinem fundant, & magis gloriosè, & gratiosè agant cum ipſo Principe. Deindè quia ſtipendia non ſunt requiſita ad eſſentiam militis, dantur enim tantum ad meram indigentiam, non ad conſtituendum talem ſtatum, & ne milites neceſſitate coacti fiant fures. Vndè pręcipuè hiſcè noſtris temporibus hi milites debent alijs pręferri, quia proprio ſumptu militant, vt notat eruditus *Claudius Cotteraus de iure militum lib. p. cap.* 18.

Nec obſtat *l. Titius*, nam ibi eſt ſermo de aliquo, qui extra caſtra degens antequam etiam militare incœpiſſet,

condidit

condidit teſtamentum, in qua re non gaudere militum priuilegijs decernit lex. Vndè non eſt contra concluſionem. Vide in hac re, ſi potes *Criſpoltum*, & non pigebit, ſed hinc aliud dubium huic ſimile mouetur.

An Capellani, Medici, Chirurgici Exercitus, & ſimiles gaudeant priuilegijs Militum.

DVBIVM SEXSAGESIMVMSEPTIMVM.

EST doctrina ſatis communis, & approbata à Doctoribus. Priuilegia extendi ad conſecutiua, & neceſſaria. Ità *Tuſcus verb. priuilegium* Sic priuilegium conceſſum pauperibus infirmis, vt non teneantur ſoluere decimas pro redditibus, qui expenduntur in vſus eorum extenditur etiam ad hoſpitalarios, & alios miniſtros infirmorum, & ratio eſt, quià ſine ipſis eſſe non poſſunt. Ità *Oldrad. conſ. vndecimo thema tale eſt Iaſo. in l. 2. nu. 2. Decius in l. in omnibus cauſis*. Sic etiam priuilegium conceſſum hoſpitali extenditur ad miniſtros. *Grati. conſ.* 130. *num.* 8. & ratio eſt, quia priuilegium conceſſum vniuerſitati competit omnibus de vniuerſitate, qui conueniunt ad vnum corpus, vt docet *Oldrad. conſ.* 300. & quamplures alij; Sic etiam famuli Clericorum gaudent priuilegio fori; non ſolum illi, qui ſunt mancipia, quos gaudere hoc priuilegio ferè ſine controuerſia eſt apud Doctores. Ità *Belleteus in diſquiſitione Cleric. part. p. tit. de fauore Clericorum, Carolus de Graſſis de effectibus Clericatus num.* 149. *eff. p.* qui innumeros alios citant. Sed etiam

R 2 illi

illi qui ſerui temporales ſunt, & conductorij, vt dicunt, & hoc docent *Narbona in* 3. *par. Recopil lib.* 4. *tit. p. leg.* 20. *Menoch.* & *alij*, quos congerit *Diana tract. p. de immunitate Eccleſiaſt. reſol.* 47. quia, vt inquit *Narbona ſupra* famulis non propter ipſos, ſed propter Dominorum perſonas priuilegia conceduntur; & fundamentum eſt, quia Domini ſine eis ſtare nequeunt. Vndè meritò priuilegia ad eos protrahi debent *ex cap. licet eodem tit. in* 6. ex quibus exemplis, & doctrina adeò approbata. Audeo

Reſpondere hæc omnia genera perſonarum Capellanos, Medicos, &c. gaudere priuilegijs militum. Quia ſtatus militiæ cui conceduntur ſine eis ſtare nequit, & ſic de facto. Reſpondi benè, & validè teſtatum fuiſſe quemdam Capellanum, qui more militari teſtamentum condidit.

An liberantiæ militum, quas dicunt eo quod difficilè poſſint exigi, ab aliquo poſſint emi dimidio pretio.

DVBIVM SEXAGESIMVMOCTAVVM.

CAſum in terminis ponunt multi Doctores, *Diana* præcipuè *tract.* 8. *de Contractibus reſol.* 50. & *Leſſius lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 9. vndè res difficilis non erit dubitationi reſpondere.

Negant talem emptionem eſſe licitam *Malderus in* 22. *tract.* 5. *cap.* 7. *dub.* 5. *Ioannes Salas de vſuris dub.* 27. *num.* 8.

Sed affirmant eſſe licitam *Diana ipſe loco ſupra, Leſſius eodem loco citato,* & *Molſeſius* noſter cuius verba hic pono, quia

Digitized by Google

quia pro parte contraria eum adductum, apud aliquos vidi, dicit ergò ſic *Summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 116. *Adſunt pragmatica in hoc Regno, quibus prohibentur emi à militibus liberantiæ, ſeù paga acerbæ, ſiuè hoſpitia minori pretio, anticipata pecunia; & venditor tenetur reſtituere pecuniam receptam, vnà cum legitimo intereſſe; ſi tamen extraneo eſſet facilis exactio, ratione amicitiæ, vel induſtriæ non prohibetur, talia chirographa emere*, ex quibus habes eum in hac ſecunda ſententia affirmantem eſſe non in prima ſit ergò.

Concluſio tales liberantiæ poſſunt dimidio pretio emi; ob difficultatem exactionis, quam habent apud eos, qui illas vendunt, & communiter apud alios; Probatur. Dùm iſtæ liberantiæ offeruntur earum pretium non pendet ex commodo vnius, vel paucorum, ſed ex publica æſtimatione, qua æſtimarentur, ſi in foro publicè, vel ſub voce præconis venderentur concurrente tota Ciuitate, ſed publica æſtimatio; ob difficultatem, quam habent, & incertitudinem ſolutionis, non putat eas pluris valere ergò.

Neque dicas, & obijcias fundamentum contrariæ ſententiæ, & ſi alijs ſolutio difficilis ſit impetratu, illi tamen, qui eas emit; facilis admodum eſt, ergò inualidus eſt talis contractus, nam.

Reſpondeo, & reſponſum colligo ex ipſa ratione conclusionis has liberantias habere pretium ex æſtimatione communi, vndè parum refert, quod reſpectu vnius ſint facilis exactionis, ſed

Vrgebis ſi hoc eſſet ſequeretur, non eſſe integrum his, qui tales liberantias habent, vendere quanti valent, ſed

ſemper

ſemper tenerentur vendere quanti æſtimantur ob eandem rationem, quod falſum, & abſurdum eſt.

Reſpondeo nego ſequelam, & hanc etiam negat *Leſſius loco ſupra num.* 77. dùm dicit; integrum eſſe his, qui talia chirographa habent non æſtimare difficultatem, vel incertitudinem ſolutionis debitæ; ac proindè nolle vendere, niſi integrè numeretur tota ſumma. Vſu enim receptum, vt hæc vendantur quanti vendi poſſunt abſque fraude, & ignorantia; Et ratio fundamentalis negationis eſt, quia difficultas exactionis eſt quid rei extrinſecum, quod non facit rem minoris valere intrinſicè; ſic per Doctores communiter. Si ego occultè ſciam debitorem meum non eſſe ſoluendo poſſum ijs, qui id neſciunt vendere illud debitum ob rationem dictam, vide *Leſſium loco ſupra dub.* 10. & non pigebit, &

Aduerte concluſionem locum non habere reſpectu eorum, quorum officium eſt ea ſoluere, vt ſunt. *El Teſorero, ò los pagadores.* Vndè tenentur iſti ad reſtitutionem, ſi has liberantias dimidio pretio emant. Ratio eſt, quia ſunt cauſa malignæ ſolutionis, cum teneantur, & poſſint ſoluere, & ob futurum hoc lucrum non ſoluant.

Dux conuentionem fecit cũ mercatore, vt in eius fundacho veſtes ſuorum militum emeret, cum pacto aliquid à mercatore recipiendi. Quæritur an licitè poterit ſibi datũ Dux retinere.

DVBIVM SEXSAGESIMVMNONVM.

DVbium hoc non multam habet in ſe difficultatem, ſed quia frequenter poteſt accidere reſpectu militum, non ſolum in his rebus,

ſed

ſed etiam in alijs neceſſarijs, non erit vanum hic eius afferre ſolutionem.

Molfeſius igitur noſter, qui caſum in terminis ponit *tract.* 8. §. *de militibus* Reſpondet poſſe Ducem acceptum à mercatore retinere. Dummodò milites non fraudentur, vel in pretio, vel in qualitate veſtium. Et ratio eſt clara. Quia tunc iſtę Dux ſe habet tamquam mediator, & proxeneta, vt mercator ille ſua bona vendat proxenetæ autem pro labore poſſunt aliquid recipere, cum ſit talis labor pretio æſtimabilis. Confirmatur hoc etiam, exemplo illius, qui eſt mediator ad beneficium obtinendum, qui ob operationem ſine ſymoniæ labe poteſt aliquid recipere ab eo, qui beneficium obtinuit, vt defendunt plures Doctores; *Molfeſius ipſe* præcipuè *tract. de contractibus*. Vndè à fortiori, nec in pęnas ſymoniaci incidit, vt habes apud *Dianam tract.* 4. *Miſcell. reſol.* 97. vbi ſymoniacos tantum illos in has pęnas dicit incidere qui ſymoniam exercent in beneficio, & ordine, & ingreſſu Religionis adducens plures Theologos hoc ſuſtinentes contra *Sotum de iuſtit. lib.* 9. *quæſt.* 8. *art.* 2. *propè finem.*

An Duces præbentes ſumma facilitate licentias militibus Caſtra relinquendi peccent.

DVBIVM SEPTVAGESIMVM.

M*Olina* licet moueat pręſentem dubitationem, attamen eam explicitè non reſoluit verba eius talia ſunt. *Neque cum diſpendio Reipublicæ, & Principis expedit, vt Duces faciles ſint*

ſint in concedenda facultate diſcedendi, præſertim quando milites valdè neceſſarij ſint, memores namque eſſe debent, quot ſumptus fecerit cum eis Princeps, ex quibus.

Reſpondeo, & dico peccare grauiter, ſi quando eorum adeſt neceſſitas, faciles ſunt in concedendis talibus facultatibus. Ratio euidens eſt, quia ſic ſunt cauſa damni quod patitur Reſpublica, & Princeps, & ſicut dans facultatem extrahendi frumentum ex Prouincia, cum illius egeſtas eſt peccat lethaliter, vt cauſa damni, quod indè Prouincia eſt paſſura ſic in caſu noſtro; Confirmatur deindè ex *leg. Officium ff. de militari,* vbi parciſſimè à Ducibus dandum talem commeatum deciditur.

Vndè, vt notat *Criſpoltus caſu* 40. neque ex cauſa ægritudinis talis facultas danda eſt militibus, niſi priùs Iudex vnà cum Medico eam veram indagauerit, vt diſponitur per *legem Semel C. de re militari;* & ſic ſibi eueniſſe teſtatur dictus *Criſpoltus loco ſupra,* ex quo habent Duces, quam cautè, & maturè procedere debeant antequam has licentias concedant militibus.

Quando autem talis militum neceſſitas ſit quando non, non poteſt determinari, ſed iudicio Ducum prudentum remittendum eſt.

An Duces, qui in bello plures perſonas repreſentant, vt plura ſtipendia capiant teneantur ad reſtitutionem.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMPRIMVM.

IN hac re non vidi Doctorum ſententias pro vtraque parte, vt ſæpè videre ſolemus in his dubijs moralibus, nam

Com-

Communis ſententia eſt, nomine di ſcrepante hos Duces plures milites repreſentantes, quam habeant peccare grauiter, & teneri ad reſtitutionem. Ità *Bonacina tract. de contractibus de bello, Petrus Nauarra lib. 2. de reſtitutione, Rodriquez, Molina, Layman,* & ferè omnes qui de bello agunt. Ratio eſt quia illa ſtipendia non ſunt illis debita, vndè committunt furtum, & tenentur ad reſtitutionem Principi faciendam.

Sed quæres, & dices, poſſunt ne ſaltem hoc modo ſibi facere Duces, & alij Officiales compenſationem pro ſtipendio, quod eis Princeps, integrè, nec ad tempus ſoluit?

Reſpondeo hoc modo non poſſe, nam licet iuſta ſit compenſatio, quando ſunt conditiones requiſitæ ad iuſtam compenſationem, in hoc caſu non ſunt iſtæ conditiones, vt patet ſi referamus quæ nam ſint. Prima eſt, quod debitum ſit liquidum, & certum; Secunda, quod compenſatio fiat in re debita ex iuſtitia non ex alio titulo, quidquid dicant aliqui; Tertia, quod in compenſatione non plus accipiatur quam ſit debitum; Quartò, quod non fiat compenſatio in re alterius, ſed in re debitoris; Quintò, quod abſit periculum ſcandali, ſeù punitionis, nam multoties ſolent huiuſmodi compenſationes puniri tamquam furta; Ex his autem conditionibus duę ferè ſemper in præſenti caſu deficiunt; nam ſemper hi Duces plus accipiunt, quam ſit debitum, immò grauiſſimum damnum Principibus inferunt, ex quo, & victoria, & Regna ipſa perduntur, nam cum putent ſe habere neceſſarios milites ad victorias conſequendas, ad debellandos hoſtes, ac Ducum fraude decipiuntur, & cum ad

pugnam deſcendunt, ob militum defectum miſerrimè vincuntur; deeſt etiam alia conditio, ſcilicet quod non ſit ſcandalum, & periculum punitionis, nam grauiter ſi hoc faciant ſolent puniri.

Scias tamen licitum eſſe Ducibus plures milites, & perſonas repreſentare quam habeant, dummodò ſint quę ob vſum, & conſuetudinem ſolent repreſentari, vt ſunt Hiſpanicè *la primera plana, el bandolero, el tamborero, & ſimiles*. Ratio eſt quia per tacitum conſenſum Superiorum, & Principum hoc fieri à Ducibus permittitur.

An Duces defraudantes ſtipendia teneantur in conſcientia ad reddendum quadruplum, quod acceperunt.

DVBIVM SEPTVAGESIMVM SECVNDVM.

RAtio dubitandi deſumitur ex quadam *lege C. de officio Præfecti, Prætoris Afric. verſ. nam ſi vſurpauerit*, in qua deciditur. Duces, & alios ſtipendia defraudantes quadruplum reſtituere debere; in qua lege etiam diſponitur priuandos eſſe dignitate.

Reſpondeo ergò in foro conſcientiæ non teneri hos Duces ad refuſionem quadrupli ante ſententiam. Hoc debent ſuſtinere *Azorius, Sanchez, Vazquez, Carbonius, Bañes* omnes relati à *Diana reſol. 35. tract. 6. Miſcell.* vbi caſum ſimilem reſoluit. Ratio eſt, quia ante Iudicis ſententiam pæna non obligat in conſcientia, vt ferè communiter docent Doctores.

Sic Hæreticus, qui ſe defendit, & impedit ſententiam

bona

Digitized by Google

bona ſuæ retinere poteſt.

Sic Adultera, quæ ipſo iure amittit dotem, ante ſententiam non amittit, etiam ſi falſis teſtibus ſe defendat.

Sic non ſoluens vectigalia, etiam ſi ſua bona ſint addicta, & commiſſa Fiſco ante ſententiam non tenetur vectigalia reſignare, & innumera alia ſunt ſimilia exempla.

An Duces, dùm tranſeunt cum militibus poſſint accipere, & retinere, quæ eis dant incolæ, vt alio diuertant, nec apud eos diuerſentur.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMTERTIVM.

NON poſſumus in hac materia præterire huius dubij ſolutionem, nam mirum eſt, quam frequenter hoc accidat.

Molina diſp. 118. vbi agit de bello negatiuam ſententiam abſolutè docet, dicitque ſic facientes obligandos eſſe ad reſtitutionem; & hęc eſt vera ſententia, nam non habent ius hic, & illic commorandi, ſed in vno tantum loco, vndè ex eo, quod ex hoc loco diſcedant non poſſunt aliquid accipere. Deindè licet poſſent manere v.g. Nouariæ, & non alio diuertere ſi non maneant, nec poſſunt aliquid accipere, nam contra voluntatem Principis hoc eſt, qui non vult ſubditos ſuos tali pacto grauari.

Si autem adeſſet tacita, vel expreſſa voluntas Principis, hoc Ducibus concedens, & permittens, ob alios iuſtos fines, quam tamen adeſſe, difficilè poteſt probari tunc

non tàm facilè damnarem peccati hos Duces talia facientes, nam cum haberent ius ibi diuerſandi, & hoc iure priuarentur aliquid pro tali ceſſione poſſent accipere. Sicut dùm quis habet ius accuſandi alium de delicto, ſi cedat huic iuri, & non accuſet, aliquid poteſt accipere, vt docent ferè communiter Doctores.

An Duces in hoſpitio poſſint recipere aliquid vltra taxam factam à Principe.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMQVARTVM.

CErtum eſt nulla alia circumſtantia ſuperueniente, nullo pacto poſſe Duces, ſeù alij militiam exercentes ab incolis vltra taxam aliquid recipere, ſed frequenter accidit, quod pro *quieto viuere*, (vt vulgò dicitur) aliquid vltra dictam taxam recipiant. Incolæ enim timentes ne moleſtentur, & vexentur à militibus conueniunt cum Ducibus, & Centurionibus, & vltra taxam eis aliquid ſoluant; vt ſic milites à damnis inferendis cohibeant, quod omne ſine ſcrupulo paſſim recipiunt dicti Duces. Quæritur ergò modo, an hoc licitè faciant.

Communis ſententia eſt negatiua, quæ ſcilicet docet, non poſſe hoc à Ducibus recipi. Ità præcipuè celebris *Molfeſius tract. 8. de militibus*. Fundamentum eſt, quia ex officio tenentur Duces cuſtodire milites, ne aliquem damnificent, quo tamen non obſtante,

Dico, Duces in hoc caſu tuta conſcientia poſſe recipere, & retinere id quod ab incolis, eis datur, dummodò aliquid

dò aliquid moderatum ſit, & etiam maiorem diligentiam adhibeant, ad frænandos milites ne infeſtent, & inquietent Prouinciales, ac adhibere ſoleant communiter alij Duces, hoc dictum debet ſuſtineri à *Leſſio*, & ab alijs Doctoribus, qui reſpondent in caſu ſimili poſſe Aduocatum recipere id à clientibus, quod eis hoc intuitu datur, vt maius ſtudium in cauſa faciant, nam licet ex officio teneantur id ſtudium facere, quod alij Aduocati communiter ſolent, attamen maius illud ſtudium maiorem illam diligentiam facere non tenentur, vndè ſi faciant, iam aliquid præſtant pretio æſtimabile, pro quo poſſunt aliquid recipere. Sic ergò in caſu noſtro.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ patet ex dictis ſcias hic ſi daretur hoc docent *Molina tract. de bello, & Driedo,* ſi daretur caſus in quo militibus ſtipendium non ſolueretur, & milites eſſent neceſſarij ad Reipublicæ defenſionem poſſent tunc milites inuitis incolis accipere ab eis neceſſaria, quod damnum debeat poſteà Princeps reparare.

An Duces in hoſpitio, dùm illis non ſeruatur commiſſio poſſint ob hoc aliquid ab incolis recipere.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMQVINTVM.

Commiſſio talis eſſe ſolet regulariter, quod v.g. incolę dent militibus, vt Italicè dicunt *Caſe Erme*. Sic etiam commiſſio eſſe ſolet, *Stano obligati tener i magazeni aperti con ogni promiſione di pane, e vino &c.* Ab his oneribus aliquan-

do

do ſe vult liberare vniuerſitas; & ſic ob hanc liberationem ſe ſolent cum Ducibus componere, & cum militibus ipſis, & aliquid conueniunt dare. Quæritur igitur hoc poſito, an licitè milites, & Duces acceptum ad hunc finem recipiant, & retineant.

Reſpondet, & optimè hoc licitè retineri poſſe *Molfeſius tract. de actibus humanis, de militibus*. Prob. quia hoc totum eſt pretio æſtimabile, hęc enim liberatio pretio æſtimabilis eſt, ob quod ſi cedant iuri ſuo milites, & officiales poſſunt aliquid tuta conſcientia recipere, & confirmatur, quia quod milites habitent ſimul in eodem loco, quod inueniant ad victum neceſſaria ſemper parata magna eſt ipſorum commoditas, vndè cum illa ſe priuent benè poſſunt aliquid pro tali priuatione recipere.

An Milites ea quæ acquirunt ab hoſtibus in bello iuſto poſſint ſibi detinere.

DVBIVM SEPTVAGESIMVM SEXTVM.

HOC dubium omnes ferè Doctores, qui de bello agunt mouent, ſed fuſius omnium, quos vidi *Molina* ipſum expendit, & reſoluit *diſp.* 118. Ego breuiter per aliquas concluſiones exponam, quid in hac re ſit reſpondendum.

Dico ergò. Primò (ſuppoſita iuſtitia belli; & facultate etiam Principis, ſeù Ducis ea ab hoſtibus capiendi) bona omnia immobilia capta, non eſſe militum capientium, ſed omnia Principi eſſe reſignanda, hoc dictum

ſuſtinent

ſtinent innumeri auctores *Layman de Charitate, & oppoſitis vitijs tract.* 3. *cap.* 12. *dico* 4. *Tabiena verb. bellum num.* 10. *Bonacina de bello, Iacobus de Graſſijs de bello*, & plures alij. Colligitur hoc dictum ex *l. ſi captiuus*, & ex *l. Magiſtris ff. de acquiſit. rerum domi*. Quæ bona ſi ab hoſtibus capta ſint, à quibus iniuſtè poſſidebantur iam veris Dominis ſunt reſtituenda ſicut docent communiter.

Dico ſecundò. Si bona ſint mobilia ſunt militum capientium iure gentium. Ità *Nauarrus lib. p. conſ.* 3. *de reſtitutione edit.* 2. *Victoria num.* 51. *Molina diſp.* 117. *concl.* 4. Prob. dictum ex *l. ſi quid bello*. Item *inſtit. de rerum diuiſione*, vbi habetur, *quæ ex hoſtibus capimus iure gentium noſtra ſunt, adeò quidem vt, & liberi homines in ſeruitutem noſtram deducantur*, non tamen Chriſtiani; vt notat *Layman*, confirmat etiam concluſionem *D. Ambroſius*, qui dùm loquitur de preda illa, quam *Abraham Geneſ.* 14. tulit, ait predam illam victoris eſſe, atque capientis.

Aduertit tamen *Molina* in hac re ſtandum eſſe conſuetudini, & varias regionum adducit conſuetudines loco ſupra; ſed mihi placeret tamquam magis rationi conſentaneum; illud vbique ſeruari, quod debere ſeruari, docet *Iacobus de Graſſijs par.* 2. *Aurearum deciſ. cap.* 20. *de bello num.* 20. Quod ſcilicet ſi mobilia capiantur in incurſu inimicorum territorij, antequam ſit bellum campeſtre inter partes ordinatum, fiant abſolutè capientium, nec debeant duci ſupremo reſignari. Quando autem in conflictu capta ſunt, tunc debeant Duci præſentari, qui illa militibus diſtribuat ſecundum merita, ratio eſt quia quando ſunt capta in conflictu, tunc periculum vitę

eſt

ſemper tenerentur vendere quanti æſtimantur ob eandem rationem, quod falſum, & abſurdum eſt.

Reſpondeo nego ſequelam, & hanc etiam negat *Leſſius loco ſupra num.* 77. dùm dicit; integrum eſſe his, qui talia chirographa habent non æſtimare difficultatem, vel incertitudinem ſolutionis debitæ; ac proindè nolle vendere, niſi integrè numeretur tota ſumma. Vſu enim receptum, vt hæc vendantur quanti vendi poſſunt abſque fraude, & ignorantia; Et ratio fundamentalis negationis eſt, quia difficultas exactionis eſt quid rei extrinſecum, quod non facit rem minoris valere intrinſicè; ſic per Doctores communiter. Si ego occultè ſciam debitorem meum non eſſe ſoluendo poſſum ijs, qui id neſciunt vendere illud debitum ob rationem dictam, vide *Leſſium loco ſupra dub.* 10. & non pigebit, &

Aduerte concluſionem locum non habere reſpectu eorum, quorum officium eſt ea ſoluere, vt ſunt. *El Teſorero, ò los pagadores.* Vndè tenentur iſti ad reſtitutionem, ſi has liberantias dimidio pretio emant. Ratio eſt, quia ſunt cauſa malignæ ſolutionis, cum teneantur, & poſſint ſoluere, & ob futurum hoc lucrum non ſoluant.

Dux conuentionem fecit cũ mercatore, vt in eius fundacho veſtes ſuorum militum emeret, cum pacto aliquid à mercatore recipiendi. Quæritur an licitè poterit ſibi datũ Dux retinere.

DVBIVM SEXSAGESIMVMNONVM.

DVbium hoc non multam habet in ſe difficultatem, ſed quia frequenter poteſt accidere reſpectu militum, non ſolum in his rebus,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam in alijs neceſſarijs, non erit vanum hic eius afferre ſolutionem.

Molfeſius igitur noſter, qui caſum in terminis ponit *tract.* 8. §. *de militibus* Reſpondet poſſe Ducem acceptum à mercatore retinere. Dummodò milites non fraudentur, vel in pretio, vel in qualitate veſtium. Et ratio eſt clara. Quia tunc iſtę Dux ſe habet tamquam mediator, & proxeneta, vt mercator ille ſua bona vendat proxenetæ autem pro labore poſſunt aliquid recipere, cum ſit talis labor pretio æſtimabilis. Confirmatur hoc etiam, exemplo illius, qui eſt mediator ad beneficium obtinendum, qui ob operationem ſine ſymoniæ labe poteſt aliquid recipere ab eo, qui beneficium obtinuit, vt defendunt plures Doctores; *Molfeſius ipſe* præcipuè *tract. de contractibus*. Vndè à fortiori, nec in pęnas ſymoniaci incidit, vt habes apud *Dianam tract.* 4. *Miſcell. reſol.* 97. vbi ſymoniacos tantum illos in has pęnas dicit incidere qui ſymoniam exercent in beneficio, & ordine, & ingreſſu Religionis adducens plures Theologos hoc ſuſtinentes contra *Sotum de iuſtit. lib.* 9. *quaſt.* 8. *art.* 2. *propè finem.*

An Duces præbentes ſumma facilitate licentias militibus Caſtra relinquendi peccent.

DVBIVM SEPTVAGESIMVM.

Molina licet moueat pręſentem dubitationem, attamen eam explicitè non reſoluit verba eius talia ſunt. *Neque cum diſpendio Reipublicæ, & Principis expedit, vt Duces faciles*

ſint

Digitized by Google

ſint in concedenda facultate diſcedendi, præſertim quando milites valdè neceſſarij ſint, memores namque eſſe debent, quot ſumptus fecerit cum eis Princeps, ex quibus.

Reſpondeo, & dico peccare grauiter, ſi quando eorum adeſt neceſſitas, faciles ſunt in concedendis talibus facultatibus. Ratio euidens eſt, quia ſic ſunt cauſa damni quod patitur Reſpublica, & Princeps, & ſicut dans facultatem extrahendi frumentum ex Prouincia, cum illius egeſtas eſt peccat lethaliter, vt cauſa damni, quod indè Prouincia eſt paſſura ſic in caſu noſtro; Confirmatur deindè ex *leg. Officium ff. de militari,* vbi parciſſimè à Ducibus dandum talem commeatum deciditur.

Vndè, vt notat *Criſpoltus caſu* 40. neque ex cauſa ægritudinis talis facultas danda eſt militibus, niſi priùs Iudex vnà cum Medico eam veram indagauerit, vt diſponitur per *legem Semel C. de re militari;* & ſic ſibi eueniſſe teſtatur dictus *Criſpoltus loco ſupra,* ex quo habent Duces, quam cautè, & maturè procedere debeant antequam has licentias concedant militibus.

Quando autem talis militum neceſſitas ſit quando non, non poteſt determinari, ſed iudicio Ducum prudentum remittendum eſt.

An Duces, qui in bello plures perſonas repreſentant, vt plura ſtipendia capiant teneantur ad reſtitutionem.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMPRIMVM.

IN hac re non vidi Doctorum ſententias pro vtraque parte, vt ſæpè videre ſolemus in his dubijs moralibus, nam

Com-

Communis ſententia eſt, nominedi ſcrepante hos Duces plures milites repreſentantes, quam habeant peccare grauiter, & teneri ad reſtitutionem. Ità *Bonacina tract. de contractibus de bello, Petrus Nauarra lib. 2. de reſtitutione, Rodriquez, Molina; Layman*, & ferè omnes qui de bello agunt. Ratio eſt quia illa ſtipendia non ſunt illis debita, vndè committunt furtum, & tenentur ad reſtitutionem Principi faciendam.

Sed quæres, & dices, poſſunt ne ſaltem hoc modo ſibi facere Duces, & alij Officiales compenſationem pro ſtipendio, quod eis Princeps, integrè, nec ad tempus ſoluit?

Reſpondeo hoc modo non poſſe, nam licet iuſta ſit compenſatio, quando ſunt conditiones requiſitæ ad iuſtam compenſationem, in hoc caſu non ſunt iſtæ conditiones, vt patet ſi referamus quæ nam ſint. Prima eſt, quod debitum ſit liquidum, & certum; Secunda, quod compenſatio fiat in re debita ex iuſtitia non ex alio titulo, quidquid dicant aliqui; Tertia, quod in compenſatione non plus accipiatur quam ſit debitum; Quartò, quod non fiat compenſatio in re alterius, ſed in re debitoris; Quintò, quod abſit periculum ſcandali, ſeù punitionis, nam multoties ſolent huiuſmodi compenſationes puniri tamquam furta; Ex his autem conditionibus duę ferè ſemper in præſenti caſu deficiunt; nam ſemper hi Duces plus accipiunt, quam ſit debitum, immò grauiſſimum damnum Principibus inferunt, ex quo, & victoria, & Regna ipſa perduntur, nam cum putent ſe habere neceſſarios milites ad victorias conſequendas, ad debellandos hoſtes, ac Ducum fraude decipiuntur, & cum ad

S pugnam

pugnam deſcendunt, ob militum defectum miſerrimè vincuntur; deeſt etiam alia conditio, ſcilicet quod non ſit ſcandalum, & periculum punitionis, nam grauiter ſi hoc faciant ſolent puniri.

Scias tamen licitum eſſe Ducibus plures milites, & perſonas repreſentare quam habeant, dummodò ſint quę ob vſum, & conſuetudinem ſolent repreſentari, vt ſunt Hiſpanicè *la primera plana, el bandolero, el tamborero, &* *ſimiles*. Ratio eſt quia per tacitum conſenſum Superiorum, & Principum hoc fieri à Ducibus permittitur.

An Duces defraudantes ſtipendia teneantur in conſcientia ad reddendum quadruplum, quod acceperunt.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMSECVNDVM.

Ratio dubitandi deſumitur ex quadam *lege C. de officio Præfecti, Prætoris Afric. verſ. nam ſi vſurpauerit*, in qua deciditur. Duces, & alios ſtipendia defraudantes quadruplum reſtituere debere; in qua lege etiam diſponitur priuandos eſſe dignitate.

Reſpondeo ergò in foro conſcientiæ non teneri hos Duces ad refuſionem quadrupli ante ſententiam. Hoc debent ſuſtinere *Azorius, Sanchez, Vazquez, Carbonius, Bañes* omnes relati à *Diana reſol. 35. tract. 6. Miſcell.* vbi caſum ſimilem reſoluit. Ratio eſt, quia ante Iudicis ſententiam pæna non obligat in conſcientia, vt ferè communiter docent Doctores.

Sic Hæreticus, qui ſe defendit, & impedit ſententiam

bona

bona ſua retinere poteſt.

Sic Adultera, quæ ipſo iure amittit dotem, ante ſententiam non amittit, etiam ſi falſis teſtibus ſe defendat.

Sic non ſoluens vectigalia, etiam ſi ſua bona ſint addicta, & commiſſa Fiſco ante ſententiam non tenetur vectigalia reſignare, & innumera alia ſunt ſimilia exempla.

An Duces, dùm tranſeunt cum militibus poſſint accipere, & retinere, quæ eis dant incolæ, vt alio diuertant, nec apud eos diuerſentur.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMTERTIVM.

NON poſſumus in hac materia præterire huius dubij ſolutionem, nam mirum eſt, quam frequenter hoc accidat.

Molina diſp. 118. vbi agit de bello negatiuam ſententiam abſolutè docet, dicitque ſic facientes obligandos eſſe ad reſtitutionem; & hęc eſt vera ſententia, nam non habent ius hic, & illic commorandi, ſed in vno tantum loco, vndè ex eo, quod ex hoc loco diſcedant non poſſunt aliquid accipere. Deindè licet poſſent manere v. g. Nouariæ, & non alio diuertere ſi non maneant, nec poſſunt aliquid accipere, nam contra voluntatem Principis hoc eſt, qui non vult ſubditos ſuos tali pacto grauari.

Si autem adeſſet tacita, vel expreſſa voluntas Principis, hoc Ducibus concedens, & permittens, ob alios iuſtos fines, quam tamen adeſſe, difficilè poteſt probari tunc

non tàm facilè damnarem peccati hos Duces talia facientes, nam cum haberent ius ibi diuerſandi, & hoc iure priuarentur aliquid pro tali ceſſione poſſent accipere. Sicut dùm quis habet ius accuſandi alium de delicto, ſi cedat huic iuri, & non accuſet, aliquid poteſt accipere, vt docent ferè communiter Doctores.

An Duces in hoſpitio poſſint recipere aliquid vltra taxam factam à Principe.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMQVARTVM.

CErtum eſt nulla alia circumſtantia ſuperueniente, nullo pacto poſſe Duces, ſeù alij militiam exercentes ab incolis vltra taxam aliquid recipere, ſed frequenter accidit, quod pro *quieto viuere*, (vt vulgò dicitur) aliquid vltra dictam taxam recipiant. Incolæ enim timentes ne moleſtentur, & vexentur à militibus conueniunt cum Ducibus, & Centurionibus, & vltra taxam eis aliquid ſoluant; vt ſic milites à damnis inferendis cohibeant, quod omne ſine ſcrupulo paſſim recipiunt dicti Duces. Quæritur ergò modo, an hoc licitè faciant.

Communis ſententia eſt negatiua, quæ ſcilicet docet, non poſſe hoc à Ducibus recipi. Ità præcipuè celebris *Molfeſius tract.* 8. *de militibus*. Fundamentum eſt, quia ex officio tenentur Duces cuſtodire milites, ne aliquem damnificent, quo tamen non obſtante,

Dico, Duces in hoc caſu tuta conſcientia poſſe recipere, & retinere id quod ab incolis, eis datur, dummodò aliquid

Digitized by Google

dò aliquid moderatum ſit, & etiam maiorem diligentiam adhibeant, ad frænandos milites ne infeſtent, & inquietent Prouinciales, ac adhibere ſoleant communiter alij Duces, hoc dictum debet ſuſtineri à *Leſſio*, & ab alijs Doctoribus, qui reſpondent in caſu ſimili poſſe Aduocatum recipere id à clientibus, quod eis hoc intuitu datur, vt maius ſtudium in cauſa faciant, nam licet ex officio teneantur id ſtudium facere, quod alij Aduocati communiter ſolent, attamen maius illud ſtudium maiorem illam diligentiam facere non tenentur, vndè ſi faciant, iam aliquid præſtant pretio æſtimabile, pro quo poſſunt aliquid recipere. Sic ergò in caſu noſtro.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ patet ex dictis ſcias hic ſi daretur hoc docent *Molina tract. de bello, &* *Driedo,* ſi daretur caſus in quo militibus ſtipendium non ſolueretur, & milites eſſent neceſſarij ad Reipublicæ defenſionem poſſent tunc milites inuitis incolis accipere ab eis neceſſaria, quod damnum deberat poſteà Princeps reparare.

An Duces in hoſpitio, dùm illis non ſeruatur commiſſio poſſint ob hoc aliquid ab incolis recipere.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMQVINTVM.

COmmiſſio talis eſſe ſolet regulariter, quod v.g. incolę dent militibus, vt Italicè dicunt *Caſe Erme*. Sic etiam commiſſio eſſe ſolet, *Siano obligati tener i magazeni aperti con ogni promiſione di pane, e vino &c.* Ab his oneribus aliquan-

do

do ſe vult liberare vniuerſitas; & ſic ob hanc liberationem ſe ſolent cum Ducibus componere, & cum militibus ipſis, & aliquid conueniunt dare. Quæritur igitur hoc poſito, an licitè milites, & Duces acceptum ad hunc finem recipiant, & retineant.

Reſpondet, & optimè hoc licitè retineri poſſe *Molfeſius tract. de actibus humanis, de militibus*. Prob. quia hoc totum eſt pretio æſtimabile, hęc enim liberatio pretio æſtimabilis eſt, ob quod ſi cedant iuri ſuo milites, & officiales poſſunt aliquid tuta conſcientia recipere, & confirmatur, quia quod milites habitent ſimul in eodem loco, quod inueniant ad victum neceſſaria ſemper parata magna eſt ipſorum commoditas, vndè cum illa ſe priuent benè poſſunt aliquid pro tali priuatione recipere.

An Milites ea quæ acquirunt ab hoſtibus in bello iuſto poſſint ſibi detinere.

DVBIVM SEPTVAGESIMVM SEXTVM.

HOC dubium omnes ferè Doctores, qui de bello agunt mouent, ſed fuſius omnium, quos vidi *Molina* ipſum expendit, & reſoluit *diſp.* 118. Ego breuiter per aliquas concluſiones exponam, quid in hac re ſit reſpondendum.

Dico ergò. Primò (ſuppoſita iuſtitia belli; & facultate etiam Principis, ſeù Ducis ea ab hoſtibus capiendi) bona omnia immobilia capta, non eſſe militum capientium, ſed omnia Principi eſſe reſignanda, hoc dictum ſuſtinent

ſuſtinent innumeri auctores *Layman de Charitate, & oppoſitis vitijs tract. 3. cap. 12. dico 4. Tabiena verb. bellum num. 10. Bonacina de bello, Iacobus de Graffijs de bello,* & plures alij. Colligitur hoc dictum ex *l. ſi captiuus,* & ex *l. Magiſtris ff. de acquiſit. rerum domi.* Quæ bona ſi ab hoſtibus capta ſint, à quibus iniuſtè poſſidebantur iam veris Dominis ſunt reſtituenda ſicut docent communiter.

Dico ſecundò. Si bona ſint mobilia ſunt militum capientium iure gentium. Ità *Nauarrus lib. p. conſ. 3. de reſtitutione edit. 2. Victoria num. 51. Molina diſp. 117. concl.* 4. Prob. dictum ex *l. ſi quid bello.* Item *inſtit. de rerum diuiſione,* ybi habetur, *quæ ex hoſtibus capimus iure gentium noſtra fiunt, adeò quidem vt, & liberi homines in ſeruitutem noſtram deducantur,* non tamen Chriſtiani; vt notat *Layman,* confirmat etiam concluſionem *D. Ambroſius,* qui dùm loquitur de preda illa, quam *Abraham Geneſ.* 14. tulit, ait predam illam victoris eſſe, atque capientis.

Aduertit tamen *Molina* in hac re ſtandum eſſe conſuetudini, & varias regionum adducit conſuetudines loco ſupra; ſed mihi placeret tamquam magis rationi conſentaneum; illud vbique ſeruari, quod debere ſeruari, docet *Iacobus de Graffijs par. 2. Aurearum deciſ. cap. 20. de bello num.* 20. Quod ſcilicet ſi mobilia capiantur in incurſu inimicorum territorij, antequam ſit bellum campeſtre inter partes ordinatum, fiant abſolutè capientium, nec debeant duci ſupremo reſignari. Quando autem in conflictu capta ſunt, tunc debeant Duci præſentari, qui illa militibus diſtribuat ſecundum merita, ratio eſt quia quando ſunt capta in conflictu, tunc periculum vitæ

eſt

eſt omnibus commune, & tunc viri probi non vacant circa ſpolia, ſed circa ſtragem, circa quam ſi non vacaſſent alij ſpolia non habuiſſent. Vndè rationabiliter vbi periculum, ibi commodum eſt collocandum.

Et ſcias etiam, quando in hoc adſunt leges particulares locorum, ſi milites contra earum legum diſpoſitionem aliquid vſurpent, teneri ad reſtitutionem earum portionum, quas iuxtà leges debebant alijs ſoluere. Quando autem non eſt aliqua particularis lex, & conſuetudo, tunc iuri gentium ſtandum eſt.

An Clerici ſi in bello iuſto aliquid ab hoſtibus capiant poſſint ſibi illud retinere.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMSEPTIMVM.

APud ſolum *Iacobum de Graffijs par. 2. lib. 2. de bello num.* 30. dubium hoc in terminis inueni, licet plures Doctores de hac re tractantes reuoluerim. Vndè eius hic verba, & ſententiam referam. *Clericus, qui Dominum ſuum in bello iuſto, comitatur ſi de eo aliquid conſequitur poteſt licitè retinere ſi datum eſt eis, ab illis, quibus licuit rapere, ſi autem ipſe rapuit cum rapiendo peccauerit induci debet in foro pænitentiæ ſi poteſt, quod illud reſtituat ei, cui abſtulit ſi ſcit quis ille ſit; Sin autem quod det pauperibus. Et ratio eſt, quia huiuſmodi Clericus rem illam rapiendo non fecit ſuam, quia ſicut Dominus eius non potuit ei dare auctoritatem bellandi, ità nec rapiendi.* Hæc dictus de Graffijs, qui pro ſe etiam citat *Aſtenſem lib. 1. tit. 9. de*

bello

Digitized by Google

bello art. 1. *in finem*. Sed ſi aliqua alia ratio non adducatur non placet dicta ſententia. Vndè.

Reſpondeo iuſtè retinere Clericos ea, quæ in bello iuſto ab hoſtibus capiunt. Probatur, nam licet, illicitè hoc faciant cum Clerici, vt inferiùs dicemus, pugnare, & ad bellum procedere non poſſint, attamen non ex hoc arguitur benè, nec iuſtè capta retinere eos poſſe, ſic vt alibi dixi meretrix illicitè facit, dùm peccat, & tamen poteſt ea quæ ob peccatum acquirit retinere. Sic mandatarius illicitè facit, dùm interficit, & tamen, iuſtè retinet acceptum pro interfectione. Vndè idem mihi videtur dicendum in caſu noſtro, nec video inter vtrumque diſparitatem.

Quæres; an idem ſit dicendum de incolis, & Prouincialibus, an ſua ſint, quæ capiunt. Reſpondeo idem dicendum nam licet plures Doctores; capta in bello iuſto aſſerant eſſe militum capientium, nec mentionem aliquam faciant incolarum capientium, attamen per iura habetur eſſe capientium, eſſe occupantis, nec explicitè dicunt militum; Ipſi tamen Prouinciales, & incolæ, etiam conſuetudini ſtare debent.

Poſt hæc ſcripta caſum hunc inueni apud *Turrianum de bello*, qui etiam citat *Bañes*.

An Milites poſſint ea ſibi retinere, quæ ab hoſtibus iniuſtè pugnantibus anteà fuerunt capta, vel prioribus Dominis tenentur reſtituere.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMOCTAVVM.

EXactè *Molina tract. 2. diſp.* 118. hoc dubium reſoluit. Vndè ex ipſo colligo reſponſionem, & breuiter.

Dico teneri milites, hæc ab hoſtibus iniuſtè capta prioribus Dominis reſtituere, facilè probatur dictum; priores illi Domini dominium non amiſerunt earum rerum cum hoſtes iniuſtè pugnantes ea rapuerint; ergò milites ea ipſis reſtituere tenentur.

Neque dicas illa operatio, qua milites recuperarunt ab hoſtibus iniuſtè capta, de ſe eſt ſufficiens ad acquiſitionem dominij; Ergò licet hoſtes non habeant dominium, habent tamen milites recuperantes. Ergò non tenentur reſtituere, &c.

Reſpondeo, enim negando antecedens, illam ſcilicet operationem eſſe de ſe ſufficientem, ad acquiſitionem dominij; nam per ipſam, vt patet, non debent dominio priores domini priuari, ſic emptio, de ſe maximè confert ad translationem dominij, & acquiſitionem, & tamen quando res furtiua emitur, non ſufficit ad hoc.

Neque inſtes, & dicas illæ res iam erant Dominis perituræ, neque ad eos amplius peruenturæ. Ergò milites capientes eas ſibi acquirunt, nam

Reſpondeo eſto perituræ eſſent; adhùc prioribus Dominis eas reſtituendas eſſe; quia dominium per hoc

priores

Digitized by Google

priores Domini non amiſerunt; & patet ex *L. Pomponius ff. de acquir. rerum dominio*, vbi deciditur, quod ſi Lupus abſtulit Porcos meos, & tu, vel Canes tui prædam à Lupo abſtuliſtis, eſto eſſet peritura omninò mihi eſſe reſtituendos. Fundamentum eſt quia donec res permanet etiam dominium apud priorem Dominum, ſic etiam dicendum in caſu noſtro.

Sed contra poſitam doctrinam inſurgit grauis difficultas ex iure quodam Regni Caſtellæ orta; quod referunt, & *Molina* ipſe, & *Gregorius Lopez ex l. 26. tit. 26. par. 2.* ibi diſponitur, omnia capta antea ab hoſtibus, ſi à militibus recuperentur; dummodò apud hoſtes non pernoctauerint, & ad tutum locum conducta, eſſe militum capientium; & hoc etiam ſi iniuſtè ſint ab hoſtibus capta; ſic enim explicat dictam legem, & intelligit *Molina dicta diſp. 118.* ergò non ſunt prioribus Dominis reſtituenda.

Reſpondeo. In primis, non eſſe adeò clarum; illam legem loqui de rebus recuperatis ab hoſtibus iniuſtè pugnantibus afferam hic verba legis, relata etiam ab ipſo *Molina. Por lo que diximos, que ſe deue tornar à ſus dueños de la preſa, que vuiſſen tirado à ſus enemigos no ſe entiende de àquello que vuiſſen tranſnochado en ſu poder vna noche ò à el dia metido en pos de muro de alguna ſu fortaleza; por que aquel ni aquella noche lo pudieſſen cobrar los que fueſſen en pos de ellos, Ca por qualquier de eſtas razones ganan el ſeñorio aquellos que lo lleuan y pierden los otros cuyo era. Em per euden quien ende adelante lo ganare deue por derecho ſer ſuyo*, conſideret legem lector, nec certè colliget loqui de re iniuſtè ab hoſtibus anteà capta, vt vult *Molina. Sed.*

Reſpondeo ſecundo, eſto, quod illa lex loquatur de

recuperatis ab hoſtibus ante iniuſtè captis, attamen iuſtè hanc legem potuiſſe à Principe conſtitui; quod ità Reſpublicæ bonoque communi expediat; ſic enim milites audaciores, & animoſiores redduntur, & etiã ob alias cauſas, ob quas benè poteſt Princeps. Dominium aliquarum rerum de vno ad alium transferre. Sed tantùm valet hoc ſi priores rerum recuperatarum Domini ſint ſubditi Principis legem hanc condentis, non autem ſi ſubditi non ſint nam tunc non poſſunt ab alieno Principe dominio rerum ſuarum priuari. Sed ex dictis oritur aliud dubium.

An Militibus reſtitutionem facientibus, debeant Domini aliquid ob recuperationem dare.

DVBIVM SEPTVAGESIMVMNONVM.

PRima ſententia affirmat aliquid militibus dandum à Dominis ratione induſtriæ, & operarum appoſitarum ad huiuſmodi res extrahendas: Ità ex parte *Molina*, qui tamen cum diſtinctione in hac re procedit, & alij plures Doctores, qui de bello tractant. Fundamentum eſt, quia æquitas poſtulat, vt quando operationes noſtræ in alteriùs vtilitatem ceſſerunt, aliquid recipiant ab illo in cuius vtilitatem ceſſerunt.

Neque obijcias. Quando res furtiua bona fide emitur, Dominus rei nihil tenetur ſoluere emptori, ſi emptor eam non emerit intuitu Domini, & ob eius commodum. Ergò dicendum idem in caſu noſtro. Reſpondent namque

quę non eſſe eamdem rationem in vtroque caſu. Emptor enim rei furtiuæ ſibi imputare debet, ſi à quo emeret, non proſpexit. Quando autem induſtriæ, & opera apponuntur vtiliter, is in cuius commodum ceſſerunt aliquid debet ſoluere. Ità *Molina loco ſupra*.

Secunda ſententia docet militibus nihil à veris Dominis dandum ob reſtitutionem rerum anteà ab hoſtibus captarum. Ità videtur ſentire *Molina*, & plures alij qui tamen expreſsè de hac re non loquuntur, ſed tantum abſolutè docent veris Dominis illa reſtituenda.

Dico ergò primò. Si bona iniuſtè ab hoſtibus capta, & poſteà à militibus recuperata ſint ſubditorum eiuſdem Principis, ac ſunt milites illi recuperantes, tunc nihil militibus in rigore ſoluere tenentur. Probatur illi milites tenentur ex officio, quando poſſunt, ob ſtipendium quod recipiunt à Principe defendere omnes ſubditos ſui Principis, & in bonis vitæ, & in bonis fortunæ, & hoc etiam tenentur facere cum aliquo periculo, ergò nihil poſſunt pro tali recuperatione à veris Dominis recipere, patet exemplo de Iudice, qui ſi ſit ſtipendiatus, nihil poteſt recipere ob ſententiam iuſtam.

Dico ſecundo. Si bona iniuſtè ab hoſtibus capta ſint non ſubditorum Principis, à quo ſunt milites recuperantes ſtipendiati, tunc ex quadam æquitate, non verò ex iuſtitia riguroſè, tenentur Domini eis aliquid dare pro recuperatione facta. Prob. Tunc non tenentur iſti milites ex officio defendere non ſubditos, ergò aliquid poſſunt recipere ob reſtitutionem, & ex æquitate aliquid tenentur non ſubditi dare, non autem ex iuſtitia, quia nullum interuenit pactum.

An ſint

An ſint aliqua mobilia, quæ ſemper debeant à militibus prioribus Dominis reſtitui.

DVBIVM OCTVAGESIMVM.

RESpondeo eſſe multa, & omnia ea, quæ priuilegio *poſtliminij* gaudent. eſt autem poſtliminium priuilegium à iure datum, quo res aliqua capta ab hoſtibus, & extra limen, & terminum Regni perducta, ità putatur, ac ſi numquam capta, & perducta fuerit; ſed eidem Domino reddenda eſt ad quem anteà pertinebat.

Illa autem quibus tale priuilegium conceditur ſunt ferè innumera, hic aliqua, quæ in mentem veniunt, referam Naues oblongæ, & etiam onerariæ, non autem Naues piſcatoriæ, aut aliæ, quibus homines voluptatis gratia ſolent vti, Equi, & Equæ, quæ fræni eſſent impacientes. Homines vt ſunt mancipia. Currus, quadrigæ muli, ſuper quibus, arma, bombardæ, machinæ, victualia pro campo deferuntur, ipſorum curruum boues, & quadrigarum, & ſimilia. Hæc omnia *poſtliminij* priuilegio gaudent. Vndè etiam ſi apud hoſtes fuerint cum omnibus requiſitis ad translationem dominij prioribus Dominis ſunt reſtituenda.

Sed hoc aduertè eſſe ex iure Cæſareo antiquo, quod non credo ampliùs, (vt experientia docet,) eſſe in vſu. Duces ipſi, & milites meliùs hoc ſcient.

Aliqua

Digitized by Google

Aliqua Triremes Italorum in litteribus Germaniæ, tempore belli naufragium fecerunt. Quæritur, an Germani huiuſmodi bona ſurripientes inciderint in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

DVBIVM OPTVAGESIMVMPRIMVM.

MIror noſtrum *Duardum*, adeò celebrem, & exactum *Bullæ Cœnæ* expoſitorem, de hoc caſu nihil expreſsè dixiſſe cum adeò frequenter accidere poſſit. Attamen ex quibuſdam eius verbis, quis forſitan colligere poteſt eius ſententiam, quæ affirmatiua eſſe videtur; ſcilicet Gallos in hanc excommunicationem incidiſſe, ponam hic eius verba *Can.* 4. *quæſt.* 4. *concl.* 4. *Benè verum eſt, quod ſi infideles hoſtes ſint, qui deprędati ſint Chriſtianos, cum quibus iuſtum bellum habent, & ipſorum Chriſtianorum bona ad tutum locum perduxerint, aut cum eis pernoctauerint, aut per viginti quatuor horas apud ſe habuerint, iuxtà Prouinciarum conſuetudinem. Ità vt Chriſtiani hoſtes eos inſequi deſtiterint, ſi tamen naufragium patiantur, prædicta bona ſurripientes excommunicationis vinculo non alligantur, quoniam huiuſmodi bonorum dominium Chriſtiani amiſerunt, ac proindè non dicuntur ſurripuiſſe bona Chriſtianorum, ſed hoſtium Infidelium; non ſic ſi hoſtes Fideles eſſent.* Sic *Duardus* ex quibus videtur inferre voluiſſe, etiam ſi hoſtes ſint, attamen ſi Fideles ſint, & naufragium patiantur, eorum bona ſurripientes incidere in Cenſuram Bullæ. Hoc àliquibus videtur inferre voluiſse. Sed ego verè noſtrum caſum illo in loco, nec in mentem veniſse puto,

nam

Digitized by Google

nam ibi agit de tertia perſona, quæ ſurripiat bona naufragantium hoſtiũ aliorum Chriſtianorum, non eorumdem ſurripientium. Quidquid tamen *Duardus* de hoc ſentiat.

Ego reſponderem non incidiſſe Germanos in excommunicationem Bullæ, etiamſi bona naufragata Italorum cæperint tempore belli, quod cum eis gerebant. Prob. De iure gentium, vt diximus, (& eſt communis Doctorum ſententia) omnia hoſtium bona ſunt aliorum hoſtium capientium, & occupantium. Ergò nulla contra ea capientes quomodocumque fulminatur Cenſura, & confirmo per ipſum *Duardum*, bona naufragata, quæ habentur vt derelicta ſi capiantur, & ſurripiantur, capientes, & ſurripientes non incidunt in excommunicationem. Ità *Can.* 4. & hoc quia bona derelicta iure naturæ ſunt primi occupantis. Ergò ſic à pari in caſu noſtro cum iure gentium bona hoſtium ſint aliorum hoſtium capientium. Iam nulla erit contra ſic facientes Cenſura. Deindè hæc excommunicatio eſt contra ſurripientes. Surripiens autem dicitur is, qui id ad quod ius non habet, rapit, at in iuſto bello, vt ſupponitur bellantes Germani habent ius ad illa Italorum bona ſi in ſuas incidant manus; Ergò nulla ligantur excommunicatione ſi hæc naufragata bona capiant, quia non ſunt ſurripientes.

Vndè nec valet obiectio. In hoc Canone excommunicantur quorumcumque bona ſurripientes, ergò etiam Chriſtianorum qui ſint hoſtes nam Reſpondeo, & ſic debent reſpondere omnes ſurripientes excommunicantur, ideſt iniuſtè accipientes, at dùm ſunt hoſtes iam ab eis, non dicuntur bona ſurripere alij hoſtes. Hinc.

Collige, quod quando Germani bellum iniuſtum cum

Italis

Italis agerent, tunc non poſſent iſta bona naufragata capere, quia iniuſtè caperent, & ſic ſurriperent.

An Milites damnum ſine Ducis licentia hoſtibus inferentes teneantur ad reſtitutionem.

DVBIVM OCTVAGESIMVMSECVNDVM.

MOlina *tract.* 2. vbi de bello agit in hac re cum diſtinctione doctiſſimè procedit. Vel denegatio talis licentiæ eſt facta, ne hoſtibus nocumentum inferatur. Vel tantum, vt diſciplina militaris ſeruetur.

Si Primò fine denegetur; tenentur ad reſtitutionem milites damnum inferentes; Quia ſine aliqua auctoritate tale damnum intulerunt.

Si Secundò, nequaquam, quia hoc non fecerunt contra adequatam Ducis voluntatem, cũ potiùs cuperet Dux, ſi ſine ſuorum militum detrimento potuiſſet fieri, tale damnum hoſtibus inferri. Sed quęres; quando nam cognoſcere poſſunt milites, videntes ſibi denegatam facultatem hoſtibus damna inferendi adeſſe voluntatem contrariam tantum inadequatè, & conſequenter poſſe ſine obligatione reſtitutionis hoſtes damnificare.

Reſpondeo hoc prudentis iudicio eſſe remittendum; ſunt tamen aliqua ſigna hoc indicantia, vt optimè aduertit *Molina tract.* 2. *diſp.* 101. Vt quando fieri conſueuit, nec punitur, immò laudatur; Quando bellum perpetuum eſt cum aliquibus hoſtibus, vt Chriſtianis cum Saracenis, & Turcis; Quando viri fortes, Centuriones,

Digitized by Google

Gubernatores id damnum inferunt, tunc enim iſti tales non adeò facilè damnandi ſunt lethalis culpæ: hinc

Collige cuiuſdam caſus ſolutionem; Dux aliquis militibus prohibuit, ne damnum inferent hoſtibus, timens ne indè hoſtes laceſciti maius damnum inferrent, quęſitum fuit; an ſi milites contrà hoc præceptum hoſtibus damnum intuliſſent, tenerentur ad reſtitutionem. Reſpondet *Molina* cum limitatione, & dicit, non obligandos eſſe ad reſtitutionem niſi ea ſedandos hoſtes ſperandum ſit. Quod ſi hac via non credibile ſit ſedandos, tunc antequam damnum hoſtes inferant non tenentur milites ad reſtitutionem, poſtquam dederint tenentur; quia cauſa damni fuerunt. Ità *Molina*, ſed aduertè hoc intelligendum eſſe de reſtitutione facienda incolis, vel Reipublicę, non verò hoſtibus, nam illis nulla reſtitutio eſt facienda.

An à militibus poſſint viliori pretio emi, quæ ab hoſtibus iniuſtè capiuntur.

DVBIVM OCTVAGESIMVMTERTIVM.

FAcilis eſt dubij propoſiti ſolutio. Vide *Bonacinam de bello, Molinam, Reginaldum*, & alios quos ibi citat. Sed hic *Molinæ* verba appono. *Ad pacandas tamen conſcientias illud eſt addendum, quando veriſimile eſſet, illas res deuenturas numquam eſſe in poteſtate ſuorum Dominorum, vt ordinariè eueniet, licitum eſſe eas emere vili etiam pretio, vt ſi proprius Dominus comparauerit illas accipiat pro eodem pretio, ſin minùs emptor ſibi illas retineat. Atque ità reſpondi*

aliquibus

Digitized by Google

aliquibus Chriſtianis captiuis, qui in Africa emerunt vili pretio à Mauris aliqua de ſpolijs Luſitanorum, quando Rex Sebaſtianus occubuit, & ſcias inſuper teneri in conſcientia Dominum rei, ſi velit rem ſuam recuperare ſoluere emptori pretium pro ea ſolutum. Ratio eſt quia emptor ipſe vtiliter egit negotium Domini. Nec inuitus rationabiliter poteſt eſſe Dominus. Vndè eius voluntas præſumpta adeſt, quæ hoc concedit emptori, & ſic concludo benè à militibus poſſe emi, vili etiam pretio, quæ ipſi ab hoſtibus iniuſtè rapuerunt.

An omnes qui militiæ adſcribuntur ad pugnandum contra Fideles, ſint irregulares etiam ſi nihil aliud faciant.

DVBIVM OCTVAGESIMVMQVARTVM.

Rationem dubitandi mouet *cap. ſi quis poſt Baptiſmum pri. parte Decreti*. Verba huius iuris ſunt hæc. *Si quis poſt Baptiſmum militauerit, & clamydem ſumpſerit ad necandos Fideles etiam ſi grauia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit Diaconi non accipiat dignitatem*. Ex quibus clarè patet. Si tantum, vt ſonant verba, attendamus; etiam nullo homicidio nulla mutilatione militiæ adſcriptos eſſe irregulares.

Sed nimis rigoroſum hoc eſſet, vndè omnes ferè Canoniſtæ intelligunt textum, quando ſequitur, vel homicidium, vel mutilatio. Ità *Gloſa Arcbidiac. Turrecremat.* & deſſumunt hoc ex *cap. pr. eiuſdem diſtinctionis*, quod ſumptum eſt ex Epiſtola *Innocentij Primi* miſſa ad idem

Concilium Toletanum vbi tantum deciditur, milites eſſe irregulares, quando ſæua ſeù ſçuera præcepta ſunt exequuti. Requiritur ergò vt interueniat ſanguinis effuſio dices in textu habetur; milites eſſe irregulares etiam ſi grauia non admiſerint, ergò etiam ſi nullum ſequatur homicidium iam erunt irregulares.

Reſp. ſenſum illorum verborum eſſe; milites eſſe quidem irregulares; etiam ſi alia peccata grauia non commiſerint; vel etiam ſi in ipſo bello grauiter non delinquant, quia bello iuſto militant. Si homicidium tantum, vel mutilatio ſequatur.

Sed inquires curioſitatis gratia. Quomodo explicanda ſunt illa verba textus propoſiti. *Si ad Clerum admiſſus fuerit Diaconi non ſuſcipiat dignitatem.* Ergò non eſt totalis irregularitas etiam ſi miles interficiat, & mutilet, illa in quam incurrit, cum poſſit ſaltem Subdiaconatum recipere.

Reſpondet ergò, & optimè expendens, & aduertens difficultatem *Suarez de Cenſuris ſec.* 5. *diſp.* 47. *num.* 7. illa verba alludere ad abuſum, qui eo tempore fuerat in Hiſpania, facilè admittendi ad ordines hos milites; Vndè ad euitandos tumultus iam facta remiſit, & permiſit Concilium eos, qui ſic ad Subdiaconatum fuerant promoti poſſe in ſuſcepto ordine miniſtrare, prohibuit autem poſſe ad alios aſcendere. De illis autem qui erant Diaconi iam facti nihil Concilium dixit, & ſic eos omni impedimento voluit liberare.

Scias hic quod refert *Gauantus in Manuali Epiſcop.* Militibus etiam ſi præliati non ſint denegari primam Tonſuram ex *Congregatione Epiſcoporum.*

An Milites

An Milites qui pugnant in bello iuſto ſint Irregulares.

DVBIVM OCTVAGESIMVMQVINTVM.

REſpondeo breuiter non eſſe. Ità communiter Doctores ſunt enim ferè innumeri, qui de hac militum Irregularitate agunt, dùm tractant de Cenſuris. *Nauarrus, Laurentius de Portel verb. Irregularitas*, & alij quos congerit *Diana tract. 2. de Irregularitate reſol.* 29. qui tamen diuerſum caſum in terminis ponit. An ſcilicet milites qui in bello iuſto occidunt alios ad defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ incurrant irregularitatem; in qua re more ſuo pro vtraque parte refert Doctorum ſententias.

Reſpondeo ergò milites non eſſe irregulares, dùm in bello iuſto pugnant niſi proprijs manibus interficiant, ſeù mutilent. Et etiam ſi hoc faciant ad defenſionem. Prob. prima pars reſponſionis, ex *cap. petitio de homicidio*; vbi ſic diſponitur, milites ſcilicet iuſtè pugnantes non eſſe Irregulares, niſi quando proprijs manibus occidunt, ſeù mutilant, ad differentiam in bello iniuſto pugnantium.

Neque dicas etiam ſi iſti immediatè per ſe non interficiant &c. attamen hoc faciunt per alios quos animant, & adiuuant. Ergò non minùs erunt irregulares, quam Iudex, & ſatellites aſſiſtentes per ſuam auctoritatem executori homicidij iuſti, nam

Reſpondeo, & ità reſpondet optimè *Diana tract. ſupra de Irregularitate reſol.* 27. *Verò notandum tamen eſt hic obiter*. In primis adeſſe determinatam declaratio-

nem

nem à iure in vno caſu, & non in alio, deindè eſſe diſparem rationem; inter noſtrum caſum, & illum Iudicis, & ſatellitum, nam milites ex eo, quod iuſtè militent, non cenſentur iuuare alios ad occidendum; ſed tantum ad ſtrenuè militandum, & per accidens tantum putantur coöperari ad neces. At Iudex, & ſatellites concurrunt ad determinatam actionem homicidij, vndè per hoc ipſi irregulares ſunt, non autem milites.

Secunda autem pars reſponſionis, milites ſcilicet ad ſui defenſionem occidentes, & mutilantes non eſſe irregulares licet ſit contra *Henriquez*, *Suarez*, *Rodriquez*, *Bonacinam*, & alios quos refert *Diana loco ſupra*. Attamen probatur. Quia talis defenſio eſt licita, & ſicut in communi ſententia; ſi Iudex, aut Carnifex inuadatur à reo, & pro neceſſaria ſui defenſione occidat illum non manet irregularis, ſic in caſu noſtro. Ità ſuſtinent *Syluester*, *Auila de Cenſuris*, *Petrus Cornejo*, *Tannerus*, & alij, quos citat, & ſequitur *Diana loco ſupra*.

Et collige hic doctrinam ſatis vtilem in hac re; quando bellum eſt defenſiuum, etiam ſi milites interficiant, & mutilent non eſſe irregulares.

Ratio eſt quia in hoc caſu eadem ratio militat, ac in priuata defenſione. Ità *Tannerus in 3. par. diſp. 6. quaeſt. 10. dub. 11. num. 208.* & alij.

An Mi-

An Milites qui pugnant in bello iniuſto ſint Irregulares.

DVBIVM OCTVAGESIMVMSEXTVM.

AGimus in præcedenti dubio de militibus iuſto bello pugnantibus, modo quaſi neceſſariè de militibus iniuſtè bellantibus mouere dubium debemus, an incurrant irregularitatem.

Communior Doctorum ſententia eſt hos milites eſſe irregulares, dummodò aliqui ex contraria parte occidantur, etiam ſi proprijs manibus non ſecuta ſit occiſio. Ità ***Syluester verb. bellum,*** quem citat, & ſequitur ***Laurentius de Portel verb. Irregularitas, & Suarez*** dicit hanc ſententiam eſſe communem; eam etiam defendit inſignis in hac materia Doctor ***Stephanus Auila de Cenſuris*** vide ipſum, & non pigebit. Fundamentum deſumitur ex ***Can. Quod in dubijs de Pænit. & cap. Si quis poſt Baptiſmum.*** Ratio eſt quia iſti omnes coöperantur ad neces, quæ fiunt, vt cauſæ ſaltem adiuuantes, vndè incurrunt in talem irregularitatem.

Dices milites pugnantes in bello iuſto, etiam ipſi adiuuant alios occidentes, & mutilantes, & tamen, ſi non interficiant proprijs manibus, non incidunt in irregularitatem, ergò ſic in dubio poſito dicendum.

Reſpondeo concedo antecedens, ſed nego conſequentiam, & do diſparitatem, in priori caſu milites iuſtè pugnantes ſi non occidant &c. proprijs manibus non ſunt irregulares, quia ſic ius determinat ***Caput ſcilicet petitio de homicidio,*** non ſic autem aliquod ius determinat

circa

circa militat iniuſtè pugnantes..

Coninch tamen citatus à noſtro *Diana reſol.* 27. *tract.* 2. *de Irregularitate* limitat hanc ſententiam, & dicit eſſe veram reſpectu illorum militum, qui ſe inuicem poſſunt adiuuare, & animare ad neces, v.g. quinquaginta, centum, & non omnium nam in tanta multitudine, non ſe omnes adiuuare poſſunt, & concurrere tamquam partiales cauſæ ad neces.

An Milites dùm dubitant, an in bello occiderint, mutilauerint &c. debeant ſe putare Irregulares.

DVBIVM OCTVAGESIMVMSEPTIMVM.

DIXI dùm dubitant, nec magis aliqua ratione, ſeù probabilitate ducti putant ſe occidiſſe ſe mutilaſſe &c. nam in hoc caſu putandi ſunt irregulares, ità ſuſtinent communiter Doctores; at in dubio.

Aliqui affirmant *Villalobos, Bonacina* relati à *Diana tract.* 2. *de Irregularitate reſol.* 30.

Aliqui, & meliùs meo iudicio negant, & ſunt *Auila de Cenſuris, Nauarrus, & Henriquez,* quos pariter videre potes apud *Dianam loco citato;* & ratio eſt quia in *cap. Petitio tua* ius ſic ait. *Si de interfectione cuiuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordeat.* In dubio autem non dicitur conſcientia remordere, & ſic dubitantes, an occiderint, vel mutilauerint non ſunt irregulares. Adde, quod ſi hoc dubium ſufficeret ad irregularitatem innumeri eſſent irregulares.

Dices

Digitized by Google

Dices ſi aliquis, qui miles non ſit in dubio ſit, an occiderit in ſententia communiori, irregularis eſt ità *Præpoſitus in 3. par. quæſt. 5. de irregularitate dub.* 8. *num.* 64. *Sanchez tom. p. lib. p. cap.* 10. *num.* 44. *Saitus de Cenſuris, lib.* 7. *Merolla in diſput. Theologi tom.* 1. *cap.* 3. *diſput.* 3. *& alij*, quos congerit *Diana tract. 2. de irregularit. reſol.* 25. Ergò ſic etiam ſi ſit miles.

Reſp. Primò, nec eſſe irregularem in ſententia etiam probabili eum, qui cum miles non ſit manet dubius, an occiderit. Sed eſto; quod eſſet adhùc diſparitas adeſt, inter hunc caſum, & noſtrum de milite; nam in hoc adeſt iùs *Petitio tua*, hoc diſponens, & etiam ratio, quæ non militat in alijs, qui non ſunt milites, ratio eſt adducta ſuperiùs quia innumeri eſſent, qui ab ordinibus retraherentur.

An qui vendunt, tribuunt, vel mutuant arma in bello iuſto incurrant Irregularitatem.

DVBIVM OCTVAGESIMVMOCTAVVM.

AVila *de Cenſuris par.* 7. *diſp.* 6. *ſec.* 3. *dub.* 2. *& Turrianus, Diana* quoque *tract. 2. de Irregularitate* docent, non eſſe hoc facientes irregulares. Ratio eſt, quia ad contrahendam hanc irregularitatem requiritur homicidium immediatè ſecutum, non quomodocumque, ſed vendentes, tribuentes, mutuantes &c. non immediatè occidunt. Ergò non ſunt irregulares.

Contrarium videtur ſentire *Suarez*, dùm diſtinguit,

& dicit, ſi hoc fiat determinatè ad occidendum, tunc adeſſe irregularitatem ſecus ſi fiat generatim.

Non tamen idem eſt dicendum de præbentibus, vendentibus &c. arma in bello iniuſto, nam in ſententia ferè communi ſunt irregulares. Ità *Nauarrus*, *Syluester*, *Couarruuias*, & alij quos citat *Auila loco ſupra*. Ratio eſt quia omnes iſti cenſentur quaſi vnà cauſa moralis interfectionum, quæ ſequuntur.

Idem dicendum eſt de his qui cuſtodiunt ſarcinas militum, & ſic dicit *Nauarrus num.* 234. idem de conducentibus milites ad bellum iniuſtum, quidquid dicat *Didacus Perez cap. 6. num.* 10. Idem de gubernantibus nauem in bello iniuſto, vt dicit *Henriquez*, & ipſe *Auila*, qui eum citat. Sed hæc omnia cum communiori ſententia tu ſuſtine, nam vt verùm fatear, patitur hæc doctrina aliquas non leues difficultates, quas breuitatis gratia hic non appono.

Scias hic tamen etiam ſi vera eſſet hæc doctrina de talibus in bello iniuſto adiuuantibus, quod ſcilicet ſint irregulares, non valere tamen reſpectu eorum qui adiuuant milites in rebus ſpiritualibus, vt ſunt Capellani, & ſimiles, nec etiam reſpectu eorum qui aſſiſtunt ad componendam pacem.

Et ſcias etiam, nec Clericum arma præbentem in bello iuſto eſſe irregularem, etiam ſi ſit in Sacris conſtitutus. Et ſic docet *Nauarrus*, quem citat *Auila loco ſupra*.

An Clerici

An Clerici in bello iuſto pugnantes ſint Irregulares.

DVBIVM OCTVAGESIMVMNONVM.

CVM certum eſt Clericos illicitè ad bellum procedere, & pugnare, vt in ſequenti dubitatione dicemus. Hinc aliqui putant; Clericos, etiam ſi in bello iuſto pugnent eſſe irregulares. Fundamentum eſt quia dant operam rei illicitæ. Quo tamen non obſtante.

Reſpondeo non eſſe Clericos pugnantes in bello iuſto irregulares. Ità præcipuè *Auila de Cenſuris diſp. 6. ſec. 3. dub.* 2. Probatur reſponſio ex *capite* alias citato *Petitio*, ex quo vniuerſaliter, nec Laicos pugnantes in bello iuſto, diximus, eſſe irregulares. Quod ius optima ratione factum eſt. Nam ſi omnes pugnantes in bello iuſto irregulares manerent, magna hominum multitudo inhabilis ad ordines, & ſic multi ad bellum non procederent, ex quo aliud maiùs inconueniens ſequeretur contra bonum commune.

Et ex hac doctrina ſequitur, Clericos etiam in Sacris conſtituros, dùm exhortantur milites in bello iuſto, non ſolum ad vincendum, & fortiter agendum, ſed etiam ad occidendum, & mutilandum; non eſſe irregulares; quidquid dicat *Nauarrus, & alij plures*. Sed eſt opinio *Auila loco ſupra, Henric. cap.* 12. *num.* 4. *littera R.* Sed ſunt irregulares ſi incitent ad occidendum; hunc, vel illum.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ, non ex hoc quod Clerici illicitè faciant, dùm pugnant in bello iuſto, ſequi; eos eſſe irregulares, propter ius ſupra addu-

ctum; Tùm etiam, quia falſa eſt illa doctrina dantem operam rei illicitæ eſſe irregularem ex hoc præcisè, dúm homicidium ſequitur.

An Clerici poſſint militare.

DVBIVM NONAGESIMVM.

OMnes conueniunt in ſententia negatiua. Ità *Molina de bello, Bonacina de Contractibus, eodem tractatu, Turrianus de fide, ſpe, & charitate diſp. 93. dub. pr. art. 2. & omnes alij,* qui innumeri ferè ſunt. Hęc concluſio probatur ex iure poſitiuo. Sed hoc intelligitur de Clericis in Sacris conſtitutis, nam in minoribus, ius non prohibet hoc facere.

Sunt tamen aliqui caſus, vt notant Doctores, & præcipuè *Turrianus,* in quibus Clericis licitum eſt pugnare. Primò, quando id eſt neceſſarium ad conſeruandam propriam vitam. Secundò, quando iudicatur neceſſarium ad defenſionem Reipublicæ. In quo euentu obligatur ad pugnandum Clericus. Poſſunt etiam Clerici intereſſe bellis iuſtis, vt diximus, cauſa ſubueniendi militibus Spiritualiter, & excitandi, & hortandi ad benè viuendum, tùm etiam ad ſtrenuè dimicandum, & victoriam comparandam, &c.

Nota Clericos, qui ex facultate Summi Pontificis ad bellandum procedunt, etiam ſi proprijs manibus, interficiant, mutilent &c. non eſſe irregulares, vt docent *Turrianus loco ſupra, Conaruuias, & Auila, & alij plures,* quos

Digitized by Google

quos dictus *Auila* citat *par. 7. diſp. 6. ſec. 3.* Ratio eſt, quia dùm Summus Pontifex conceſſit Clericis facultatem pugnandi, etiam tacitè, & virtualiter diſpenſauit in irregularitate, & in iure inducente talem irregularitatem.

Scias hic etiam Clericos pugnantes, quando eis eſt illicitum peccare mortaliter, eſt ſenſus communis Doctorum, & colligitur tùm ex grauitate materiæ, tùm ex pœnis, quæ illis imponuntur per varia iura, ex *cap. quicumque Clericus cap. Clerici, cap. quicumque ex Clero*, & eſt peccatum contra virtutem Religionis, vt docet *Turrianus loco ſupra.* Nam talis prohibitio manifeſtè fit intuitu dignitatis perſonæ Sacræ.

Petes hic an Clerici fugere poſſint tempore belli; Reſpondet *Rutilius de fuga lib. 3. quæſt. 4.* diſtinguendo vel curam Animarum habent, vel non ſi primum peccant, ſecus ſi ſecundum, vide ipſum de hoc enim ibi fusè agit; Scias etiam hic obiter diſtributiones dandas eſſe Canonicis, & ſimilibus, dùm timent in patria commorari ob bellum. Ità *Oddus, Menoch.* citati à *Barboſa de Canonicis, & dignitatibus cap.* 24.

Miles contra Ducis præceptum plures hoſtes ſolus aggreſſus eſt. Quæritur; an peccauerit.

DVBIVM NONAGESIMVMPRIMVM.

NON eſt dubium, vt inquit *Molina*, ex natura ſua, & genere ſuo culpam lethalem eſſe, cum milites aliquid faciunt contra Ducis voluntatem, & præceptum, quod graue ſit, vt

vt inferre hoſtibus damnum, ſe vitæ periculo exponere, vndè ſemper acriter ſolet talis inobedientia puniri. Attamen ſi nullum ſequatur damnum, nec alijs, nec ſibi, nec etiam periculum damni, tunc non committetur à militibus culpa lethalis. Hoc ſuppoſito facilis erit dubitationi reſponſio.

Reſpondeo ergò, militem illum, qui contra Ducis præceptum aggreſſus eſt plures hoſtes exeuntem ex acie non peccare lethaliter, ſi nec periculum damni ſibi, aut exercitui quando fuit hoſtes aggreſſus videbat imminere. Ratio eſt quia tunc non res geſta, ſed inobedientia Duci diſplicet, quæ diſplicentia cauſare non debet peccatum lethale in milite. Quando autem dicta diſplicentia hoc cauſet iudicium prudentis viri hoc expendat, & confirmari poteſt exemplo illo 2. *Regum cap.* 23. dùm tres illi ſtrenuè milites iuerunt inter medios hoſtes vſque in Bethelem, vt aquam Dauid Regi ſitienti, portarent. Qui vt docet *Abulenſis* in illum locum *quæſt.* 21. non peccarunt ſi credebant ſibi licere pugnare contra inimicorum exercitum, vt militibus illius temporis, & nationis ſolebat accidere; ſic Eleazar ſolus contra totum hoſtium exercitum dimicauerat, ſic etiam Semma, vt habetur ex Scriptura. Ergò.

Et hic obiter aduertant militum Duces, ſe grauiter peccare, dùm milites ſuos euidenti periculo exponunt, ſine aliqua honeſta, immò vrgenti cauſa; ſic ait *Abulenſis*, ſi Dauid in caſu ſupra poſito imperaſſet tribus illis militibus, vt ad Ciſternam Bethelem irent, ad deportandam indè ſibi aquam, peccaſſet vtique, quia pro re parui momenti expoſuiſſet magno vitæ periculo, tres illos

egregios

egregios milites. Quod ipſe tunc non fecit, vt patet ex hiſtoria ipſa.

An Principes qui cogunt ſubditos, vel non ſubditos militare teneantur ad reſtitutionem damnorum, quæ indè militantes patiuntur.

DVBIVM NONAGESIMVMSECVNDVM.

DICO Primò, ſi ſint ſubditi, & eis ſtipendium ſoluat Princeps non tenetur ad reſtitutionem damni, quod indè ſubditi patiuntur. Ità *Petrus Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 3. num.* 270. Probatur, quia ſubditi tenentur iure obedire, & conſequenter eodem iure tenentur ſe damnis, & periculis belli exponere. Et valet hęc ratio à fortiori, quia ordinariè dùm coguntur, ſemper adeſt neceſſitas vrgens, in qua ipſi deberent ſe defenſioni obijcere.

Dico Secundò, ſi ſint non ſubditi, & cogantur ire ad bellum, tunc etiam ſi ſtipendium eis ſoluatur, tenetur Princeps cogens ad reſtitutionem damni, quod indè patiuntur non ſubditi. Ità idem *Petrus Nauarra eodem loco*, & etiam *Corduba queſt.* 39. *punct.* 2. Ratio eſt, quia ex actione iniurioſa damnum eſt ſecutum non ſubditis. Ergò Principi ſicut cauſæ efficaciæ, & iniuſtę damnum eſt imputandum.

Sed quæres, quid ſi Princeps non cogat, non ſubditum, ſed tantum precibus, & ſuaſionibus moueat ad bellum.

Corduba loco ſupra aſſerit, etiam in hoc caſu Principem teneri

teneri ad reparanda damna, quæ ex bello paſſus eſt non ſubditus, ſed meliùs ſine dubio.

Reſpondet *Petrus Nauarra loco ſupra num.* 272. non teneri, ratio eſt, quia rogati, & vocati liberè, & ſpontè ad bellum proficiſcuntur, ſibi igitur imputare debent damna ſecuta. Sic ſi puella in ſtuprum conſentiat precibus, & ſuaſionibus, nihil ei eſt reſtituendum, etiam ſi damnum ſit immediatè datum. Ergò multò minùs tenebitur Princeps in caſu noſtro.

Sed dicit *Corduba* mandans tenetur de damnis mandatarij, & tamen mandatarius non cogitur. Ergò ſic Princeps tenebitur de damnis ſecutis illorum, quos ad bellum precibus mouit.

Reſp. negando antecedens verùm enim eſt tantum, quando mandatarius cogitur, ſecus ſi non ſit coactio; & pro hac coactione intelligit etiam *Petrus Nauarra* metum quemdam reuerentialem, vndè cum Princepsità rogat ad bellum, vt graue, & diſpendioſum foret rogato, ad bellum non procedere, iam tunc, quia voluntariè non conſenſit, & metus reuerentialis ſit cauſa damnorum ſecutorum tenebitur Princeps ad reparanda illa damna.

Hic in mentem venit dubium ſatis curioſum. Aliqui extranei videntes Principem quemdam vicinum vndique hoſtium armis vallatum, eo recuſante, venerunt ad eum adiuuandum in bello. Dubitatur, an tunc Princeps ille, contra cuius voluntatem venerunt, teneatur, & eis ſoluere ſtipendia iuſta, & damna ex occaſione belli facta eis reparare.

Corduba, quem citat *Petrus Nauarra loco ſupra nu.* 275. & etiam ſequitur, aſſerunt tunc Principem illum teneri; hic

hic *Nauarrus* verba ponam: *Sicut ſi Medicus te renitentem curaret, expenſaſque tuæ curationis ſolueret nunquid non ſanus laborem, induſtriam, & expenſas ſoluere deberes? Si domus tua flagrat incendio ego verò te nolentem extraxero, te tuaque liberando nunquid mihi laborem, & damna, quæ tua ſum paſſus cauſa reparare non tenebere? Si te taurum agitantem, te renitentem admonitionibuſque meis, vt fugias non adquieſcentem inuero, ſi tibi opem penè morienti equi mei amiſſione, vel alio damno meo tulero nonne ſatisfacere mihi, & laborem, & damna debebis? Sic ergò dicendum eſt in hoc caſu, quod ſi meo auxilio ità opus foret, vt Princeps periclitaretur, ſi prohibitus acceſſerim iuſtè petere poſſum damnorum meorum refuſionem.* Sic *Petrus Nauarra*; a cuius ſententia nolo in hac re diſcedere, ratio eſt quia vtiliter negotium Principis ſubditi, vel exteri tunc fecerunt, & tempore, quo tenebatur eorum auxilium acceptare. Vndè ſi inuitus erat, irrationabiliter erat inuitus.

An Milites, qui metu mortis fugiunt, & arma infidelibus relinquunt incidant in excommunicationem Bulla Cœna Can. 7.

DVBIVM NONAGESIMVMTERTIVM.

SVardus noſter caſum habet in *Can. 7. lib. 2. quæſt. 13.* & Reſpondet negatiuè, & optimè, ratio eſt, quia iſti verè non deferunt; nec traſmittunt arma ad infideles, ſed tantum metu mortis eas relinquunt in eorum poteſtate; Ex vi autem *Bulla Cœna* illi tantum excom-

municantur, qui arma deferunt. Hæc eſt ratio fundamentalis huius concluſionis, qua aliquæ obiectiones, quæ in hanc ſententiam fieri poſſunt, eneruantur, & repelluntur.

Obij Primò *Azorius*, qui contrariam ſententiam videtur docere ſub diſpoſitione preſentis Canonis comprehenduntur non modo, qui arma deferunt ad infideles, ſed etiam qui permittunt deferri cum ratione ſui officij, id tenerentur prohibere, hoc faciunt milites in caſu poſito, ergò

Reſp. *Azorium* loqui de permittentibus hoc facere nullo metu, at quando adeſt metus non docet hoc *Azorius*.

Obij Secundò contra ſe ipſum *Duardus*, ſic dicens, *in præcedenti quæſtione concluſimus, quod metu mortis deferentes arma ad Infideles ſi peccant mortaliter, etiam in excommunicationem inciderent. Ergò excommunicatio in caſu de quo agitur omninò contrahitur.* Sed

Reſpondet ipſe ſibi *in præcedenti quæſtione locuti ſumus de deferentibus arma metu mortis ad Infideles ſuppoſito enim quod faciant contra legem naturalem, vel Diuinam cum peccent mortaliter conſequenter in prædictam excommunicationem incidunt, ex quo vi noſtri Canonis expreſsè prohibentur arma, & his ſimilia deferri ad Infideles. At verò in caſu noſtro loquimur de dimittentibus arma, quod vi Bullæ non damnatur expreſsè, eſto etiam quod peccent.*

Ex qua reſponſione, meliùs meo iudicio primæ obiectioni reſponderem; nec permittentes arma ad Infideles deferri, etiam ſi nullus adſit metus, incidere in excommunicationem; cenſura enim hoc loco contra delationem ipſam ſolùm fulminatur, & contra ſolos deferentes.

An Mi-

An Milites teneantur ſoluere decimas de ſuis ſtipendijs.

DVBIVM NONAGESIMVMQVARTVM.

RESpondeo ſi iura attendamus, teneri. Ità expreſsè habetur ex *cap. Decimæ* his verbis *de militia, de negotio, de artificio redde decimas*. Ità docent etiam *Suarez tom. 1. de Religione lib. p. de Diuino cultu cap.* 31. *num.* 3. *&* 4. *Rebuffus tract. de Decimis quæſt.* 8. *à num* 18. *Fagundez par.* 5. *lib. p. cap.* 2. *num.* 10. Ratio eſt quia illa bona comparantur actione perſonali, & titulo lucratiuò illis adueniunt. Ergò de his decimæ debentur.

Et ad alios etiam ſimiles caſus doctrinam hanc extende Aduocati ex ſuis ſtipendijs, & Lectores Cathedræ ex ſuis, & Iudices, & ſerui eadem ratione debent decimas. Ex his etiam quæ ludo acquiruntur debentur decimæ, ad quos omnes caſus ob puritatem rationis extendunt ius, *&* *caput Decimæ* Doctores.

Nota hic etiam milites, ſi vim iuris attendamus debere ſoluere decimas de his prædis mobilibus, quas iniuſto bello accipiunt, vt docent *Suarez Panormitanus*, quos ſequitur *Fagundez loco ſupra*, & patet exemplo *Geneſis* 14. ibi Abraham de omnibus prædis, & ſpolijs decimas obtulit Melchiſedech Sacerdoti Dei; Ratio eſt quia cum *caput* illud *Decimæ de Militia redde decimam* dicat, & militia comprehendat non ſolum lucrum ſtipendij acquiſitum propria actione perſonali, ſed etiam lucrum iuſtæ prædæ. Hinc etiam de prædis iuſto bello habitis ſoluendæ ſunt decimæ; Dummodò mobilia ſint, nam de

immobilibus non debentur, vt definitum eſt in *Concilio Maguntino in cap. Decimas*.

Scias hic tamen iam ferè per conſuetudinem huiuſmodi decimas omnes ſublatas eſſe. Vndè ſtandum eſt potiùs in hac re conſuetudini, quam iuri.

An Milites qui diebus Feſtiuis aggeres conſtruunt, peccent contra præceptum.

DVBIVM NONAGESIMVMQVINTVM.

RESpondeo non peccare. Ità communiter Doctores *Suarez, Toletus*, quos citat, & ſequitur *Fagundez in præcepta Eccleſiæ lib. 9. cap.* 14. ponam hic eius verba. *Ratione neceſſitatis corporalis propria excuſantur milites, qui tempore belli ad euitandum damnum proprium, & tuendam Vrbem diebus Feſtiuis laborant ageres neceſſariò conſtruendo, tormenta bellica parando muros, ac repagula ædificando, & alia ſimilia opera ſeruilia exercendo.*

Immò etiam ſi ex ſe huiuſmodi opera facere eſſet contra pręceptum attamen, ſi milites cogerentur à Ducibus poſſent hæc ſine peccato præſtare. Ità *Toletus, Azorius, Caietanus, Angelus, Roſella, Nauarrus, Suarez, & alij*, quos congerit *Fagundez loco ſupra num.* 9. Ratio eſt quia vis extrinſeca excuſat à peccato operantes ſeruilia diebus Feſtiuis. Sic ſerui, qui obligati ſunt ad ſeruiendum, ſi cogantur à Dominis ſuis diebus Feſtiuis laborare poſſunt hoc exequi ſine peccato, & hoc etiam ſi eis mortem Domini non minentur, ſufficit enim ad hoc vt licitè hoc

faciant,

Digitized by Google

faciant; ſi vel ſtipendium amittant, vel à famulatu remoueantur, niſi obtemperent Dominis, cum non tàm facilè alium Dominum inuenire poſſint, & hoc totum poteſt militibus ſecundum eorum ſtatum applicari.

Quidam Miles falſo, vt gratiam obtineret, infirmitatem allegauit contractum ob ſeruitium, quam non ob ſeruitium contraxerat. Quæritur, an ſic obtentam gratiam poſſit retinere.

DVBIVM NONAGESIMVMSEXTVM.

HAbeas præſentis dubij ſolutionem, & reſponſionem à noſtro numquam ſatis laudato *Molfeſio ſumm. tract.* 8. *cap.* 13. *de actibus humanis*, qui ponit caſum in terminis ſic dicens. *Fuit inquam dubitatum ſi valida erat illa conceſſio in foro conſcientiæ, dùm ſupplicatio pro parte continebat veritatem videlicet ſeruitium, & pro parte continebat mendacium, quia occaſione ſeruitij non accepit infirmitatem, & licet multi multa dicerent ego tunc reſpondi negatiuè, & idem nunc affirmo. Si quidem cauſa principalis, qua Rex mouetur ad remunerandos milites non tantum eſt ſeruitium militare, ſed vt plurimum eſt infirmitas vulnerum, vel aliorum accidentium cauſa belli ſuſceptorum, vt eſt notoria praxis.* Hęc optimè *Molfeſius*, & poteſt confirmari hæc ſententia à fortiori, quia reſcriptum non extenditur ad caſum, qui ſub verbis eius non comprehenditur, etiam ſi ad petitioné alteriùs caſus gratioſæ litteræ concederentur; ſic ponunt Doctores exemplum, apud *Sanchez de diſpenſationibus lib.* 8.

disp.

diſp. 27. Aliquis narrauit Titium ſibi debere ex mutuò centum nummos aureos, petens vt cogeretur dictus Titius ſibi ſatisfacere, cum tamen ei Titius non eſſet obligatus ex mutuò, ſed ex alio contractu; tunc dicunt Doctores etiam ſi reſcriptum, & gratiam obtineat iuxtà ſupplicationem, non poteſt ea frui. Ergò à fortiori in caſu noſtro cum Princeps non conceſſiſſet gratiam illam ob infirmitatem non dependentem, & non contractam ob ſeruitium dicere debemus inualidum, & ſurreptitium fuiſſe tale militis reſcriptum cum non extendatur ad caſum, qui ſub verbis eius non comprehenditur.

Hic obiter ſcias alteriùs caſus parum diuerſi oppoſitam ſolutionem. Quidam miles qui alias à caſtris fugerat, & poſteà ad militandum redierat, Regi ſupplicationem dedit ob ſeruitia ab *ipſo* per plures annos pręſtita, tacens tamen fugam; dubitatum fuit, an gratia obtenta, & reſcriptum valeret, & ipſo frui poſſet miles in conſcientia. Reſpondeo valere, & tuta conſcientia poſſe talem militem acceptum à Principe retinere: nam in hoc caſu cauſa finalis ſubſiſtit, adeſt enim verè ſeruitium Principi exhibitum, ob quod ordinariè mouetur ad remunerationem, licet ergò taceatur fuga; nihil refert; non enim ille tenetur ſuam culpam prodere, & ſubſiſtit cauſa finalis.

Neque dicas ſi Princeps ſciuiſſet fugam gratiam non conceſſiſſet; nam illa habitualis voluntas Principis contraria non obſtat, non enim facit diſpoſitionem conditionalem cum ſubſiſtat cauſa finalis, & motiua, & radix primaria huius doctrinæ eſt, quia ſi per hanc voluntatem habitualem contrariam, inualidæ eſſent donationes, omnes

nes

Digitized by Google

nes ferè traditiones, & contractus vitiarentur, nec abſoluti eſſent, ſed omnes conditionales cum ſemper quędam ignorentur, quibus cognitis, nec donatio, nec contractus factus fuiſſet. Ità *Molina, Azorius, Sanchez, Medina, Valentia, Vazquez, Reginaldus, Rebellius,* quos omnes citat, & ſequitur *Bonacina tract. de contractibus quæſt. p. punct. 2. propoſ. 2. num.* 13. qui affert ſolutionem alteriùs caſus ſimilis. Validam ſcilicet eſse collationem beneficij, quod Epiſcopus contulit Clerico alioquin ad illud idoneò, ſed affecto aliquibus defectibus, quos ſi Epiſcopus cognouiſset, non ei beneficium contuliſset; Hoc ergò etiam dicendum in præſenti dubio. Et concludendum, benè potuiſſe gratia obtenta frui, etiam ſi tacuerit in ſupplicatione fugam, cum cauſa finalis fuerit ſcilicet ſeruitium, quod Principi in bello per multos annos præſtitit.

An Milites ob extraordinaria ſeruitia, quæ ſuo Principi præſtant poſſint aliquam compenſationem ſibi facere.

DVBIVM NONAGESIMVMSEPTIMVM.

Sententiam negatiuam conſequenter loquentes debent defendere omnes illi, qui negant famulos ob extraordinaria ſeruitia, quę Dominis ſuis exhibent poſſe ſibi compenſationem facere. Ità præcipuè inter alios ſunt enim ferè innumeri *Ioannes Valerus* apud *Dianam, Vazquez opuſculo de reſtitutione cap. 5. §. 1. dub.* 10. *& alij* huius ſententiæ rationes, & fundamenta infrà adducemus,

cemus,

cemus, & ſoluemus.

Secunda ſententia eſt affirmatiua, quam mordicus defendit viua voce, & etiam in quadam manuſcripta deciſione alibi à me citatus, noſter *D. Ioannes Calepius* vir doctrina eximius, quem in hac re, vt in multis ſæpè ſoleo, conſului; hanc etiam quamplures debent ſuſtinere, vt conſequenter loquantur ad ſua principia ego breuiter, quid ſentiam exponam.

